BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
17 M
177

CAROLI BOVILLI SAMAROBRINI DIALOGI TRES,

Bibliothecæ S. Mariæ

De { Animæ immortalitate.
Reſurrectione.
Mundi excidio, & illius inſtauratione. }

VIRTVTE DVCE, COMITE FORTVNA.

LVGDVNI APVD SEB. GRYPHIVM,
M. D. LII.

CAROLVS BOVILLVS NICOLAO HIERONYMO MALLARIO INSIGNIS ECCLESIAE PARISIENSIS THEOLOGO S. P. D.

SVPERIORE *anno, doctiſſime mi Mallari, accidit, te per Nouiodunos iter agentem noluiſſe me inſalutato præterire. Et cum poſt reciprocam amborum noſtram ſalutationē priuata, familiariſue collocutio inter nos latius increbruiſſet: percontatus tandem es, ſi quid mihi eſſet, in quouis diſciplinæ genere, recentioris fœturæ, quod peräuidas nouæ rei lectorum mentes nondum imbuiſſet. Reſpondi, Hortulum quidem Mineruæ, quem domi cotidie ſolitarius excolerem, ſenticoſum non eſſe, nec obrutum inani fruticatione labruſcarum: ſed fœcundū pinguem, & floſculorum amœnitate vberem. Poſtulaſti illico, velut ex catalogo, tibi quorundam, recitari titulos. Annui. Mox vbi dialogorum (cum primis trium) feſtiuæ, titillanteſq; nomenclaturæ tuis auribus inſonuere, (ſcilicet, de Animæ immortalitate, de Mortuorum reſurrectione, deq; Supremo mundi excidio, & eius inſtauratione) ſuggeſſiſti vtilem, & bene auribus prurientem eorum didaſcaliam, debere ocius, è ſcriniis, prodire in publicum. Indignum quippe eſſe, eos tandiu infructuoſo tegi ſilentio: qui in animæ poſt corporis exceſſum permanentia dubijs, egris, & mente anxijs, imò verò quibuſdam prorſus ea in re à veritate decliuibus, ſaluberrimum polliceri viderentur antidotum. Dedecereq; nimis, hoc genus medicaminis dedi diu tineis, quod alioqui plurimis animo valitudinarijs conſulet equi & boni. Secus enim repetundarū iure poſtularer, ſi theſaurum hunc ſub humo abdi, & vſui paterer prorſus eſſe nulli. Subiunxi protinus ad hæc: Me quidem Belgas*

(ne

(ne dicam Cetas) inter degentem procul abſiſtere à nundinis, & celebri emporio communium literarum: ideoq́ neceſſariam ad id officij nequaquam ſuppetere præli copiam. Et vt euangelico eloquio conſentaneus alludam, hominem me non habere, qui eiuſmodi dialogis, velut orphanis & languidis, adiutricem dexteram protendat, vt cùm mota fuerit aqua, mittat eos in piſcinam. Tu verò, velut publicæ vtilitatis ſtudioſus: illico te, vt ita dicam, Sympathen obtuliſti, pollicens in diſquiſitione typographi operam omnē tuam. Nec te oſcitanter acturum, quin lucubratiunculæ illæ meæ breui triſtes linquant xerolophos, deſinantq́ fieri pabulum teredinum. Morem igitur geſturus beneuolæ adhortationi tuæ, omnem inuulgandorum dialogorum prouinciam, (quos tuo nomini & nuncupo, & dedico) ratus ſum, tuæ fidei committendam, vt diſquirereres illis prælum. Necnon vigilem, & oculatiorem Argo caſtigatorem, qui mendas à formulis eluat. Nam ſi mendoſi, nec deterſo caractere, in lucem prodirent: ſicut hi lectoribus oſcedinem & nauſeam ingererent, ita planè ſui ſpem coloni, inhiantemq́ lucro crumenam eluderent. Et hæc quidem, quæ velut ei negotio neceſſaria, nunc apud te comminiſcor: cùm te tam deuitandæ typographi iacturæ, quàm publicæ lectorum vtilitati proſpicientem, non neglecturum confidam: vt carmine caſu in obriente finiam,

Non ero nunc tecum prolixior: hoc plico chartam
Fine, tuo linquens cætera in arbitrio.
Qualicunq́ tuos mercede refundo labores,
Qui tres pendo tui nominis auſpicio.

VALE: *Nouioduni Idibus Octobris,*

M. D. X L I I I.



BOVILLVS MALLARIO RARAE LITERATVRAE VIRO.

Ne dubites Doctor, tibi quid monogrammia præſens
Exprimit : hæc animæ plurima ſenſa docet.
Sicut enim mundi gemina eſt fax, magna diei
Vna praeſt, nocti cætera præficitur.

Sic

Sic animam endelechia hominis probat eſſe perennem:
Per ſenſus carni eſt reſtituenda ſuæ.
Hactenus, & nec plus, mors eſt mors: quàm quia ad horam
Fœdus perrumpit corporis atq; animæ.
Poſtea perfracto hoc naturæ fœdere carnis
Fictile vas atros diſsilit in cineres,
Hæc omnis mortis virtus, anguſta facultas,
Quæ potis eſt carnem ſoluere, non animam.
Poſt mortem nobis animæ menteſq; ſuperſunt
Incolumes: hac ſpe viuimus impauidi.
Conſtantes eſtote igitur: nolite timere
Mortem, quam vſqueadeo vulgus inane pauet.
Contra etenim hanc mortem geminis ſtabilimur in armis,
Et duplici certè contegimur clypeo.
Spes nobis conceſſa duplex eſt: vna quidem, quæ
Subiectam morti denegat eſſe animam.
Cætera ſpes etiam felix, quæ corpora nobis
Integra nonnunquam reſtituenda docet.
Hæc cano non rudibus rerum, at tantummodo doctis:
Qui norint, quid ſint: quid caro, quid'ue animus.
Hinc habeant rerum ignari, quos ſub iuga mortis
Ignauus miſit, perdomuitq; metus.
Ignorant etenim quid ſint: an ſint homines, an
Bellua, cui mentis candida gemma deeſt.
Talibus, haud mirum, ſi mors dominatur amara,
Ignaroſq; ſui ſub ſua ſceptra tenet:
Huc veniant ſoli, qui ſe nouere, quibuſ'ue
Doctæ animæ mortis ſpicula non metuunt.
Hi ſiquidem ſoli à gemina ſpe temnere mortem
Norunt: nam mundo his altior eſt animus.
Mente etenim ſeſe immortales eſſe ſimulq;

Corpora nouerunt reſtituenda ſibi.
Felix eſt igitur mens, quæ bene conſcia veri,
Euaſit, quam ſpes iungit vtraq; Deo.

CAROLVS BOVILLVS SAMAROBRINVS AMICO LECTORI SAL.

SCISCITABERIS, *candidæ Lector, ſi percontaberis à me, quid ſibi velint Dialogi hiſce tres, quos recens in lucem dedi. Audi obiter occaſionem, quæ tuo ſatis poſtulato ſit allatura. Præteriere aliquot iam amni, vt ex calce ſingulorum videbis, quibus ſedentaria lucubratione mecum de more priuato in otio colludens, illos confeci. Tamdiu hi meis ſub ſubgrundijs ignoti prorſus & frugi nullis conticuere, quoad Theologus inſignis Nicolaus Hieronymus Mallarius, vir non gregariæ doctrinæ, illos ex auditione titulorum ad prælum depopoſcit. Huic, vt viro amiciſſimo, eorum curam permiſi, & ſub nominis eius auſpicio è tenebris ſub dio dedendos facile conſenſi. Agnoſces ex eorum lectione, quid illi auidis mentibus ſtipulentur. Quòd ſi fortè eorum te lectio grauabit: id celerius à feſtiuis & plauſibilibus eorum titulis diſce: qui velut tubæ è ſumma arce clangentes, ad tria quædam ſcitu non indigna, (ad inquam Animarum immortalitatem, ad Corporum reſurrectionem, & ad ſupremum mundi excidium, cum illius inſtauratione) quoslibet ſecus limen prætereuntes inuitant. Quamobrem quiſquis eris, Lector, qui prior eorum eſculenta lectione te ſatiaueris: ſi qui fortaſſe alij, earum adhuc rerum ieiuni, abs te ſciſcitabuntur, quid illis inſit medullæ, quid denique dapum, & quid ambroſiæ ſint hi eſurientibus ac ſitientibus indigenijs allaturi: hos benigne commonefac, vt ad præcocem titulorum clangorem propenſiores arrigant aures. Eorum enim cum*

primis titulos ſat bene audire, ſui orexim gignere : vt qui non ad ridiculam aſini vmbram, nec ad vilem carbonum theſaurum philomatem quemq; illiciant : ſed altioris theoriæ axiomata ſtipulentur. Pulſet igitur tenera ſollicitus Lector oſtiola: nec tantum à limine illos peregrino pede ſalutet : verùm in adyta penetret: illic ſedentarius hoſpitetur, diſcumbat: bellaria quæque, & occultiores oſsium medullas, ſuaui labiorum philemate delibet. Nec enim tandem vel ex eorum lectione ſe horarum iacturam feciſſe, vel ex eorum coëmptione alium quàm cãdidum in vrnam ſuam lapillum immiſiſſe deplanget. Vale, & breuitatem epiſtolæ excuſa. Quòd ſi plura exigis, ea à ſequenti epigrammate, quod tibi ex tempore concinui, depoſce.

AD LECTOREM.

Ne pete, mi Lector, ne quære, quid ex opere iſto,
Quæ menti veniant emolumenta tuæ.
Ad titulos patulas aures exporrige : & ex his
Agnoſces, proſint quid ſitienti animo.
Oſtia præteriens palpes : tere limina, & intres:
Ut paſcat mentem grata medulla tuam.
Non ad theſauros carbonum, non ad aſelli
Dignam riſu vmbram, te liber iſte citat,
Hunc eme ſtipe leui, Lector : ne parce crumenæ:
Exiguus tibimet grandia nummus emet.
Quid melius, quàm ſcire animam poſt fata manentem,
Non ſolui in fumos, ire nec in nihilum?
Nec minus ex uſu eſt : carni, quæ morte cinis fit,
Reddendam ſpeciem, corporeumq; decus.
Scire etiam prodeſt, nitidi quia machina mundi
Ignibus extremo ſit peritura die.

Et quia pacato tandem inſtauranda Deo ſit:
Atq; rediuiuo reſtituenda homini.
Hæc tria, digna quidem ſcitu, liber hic tibi ſoluet:
Hunc obolo tenui candide Lector, eme.
Nec duntaxat eme hunc : ſed & ad calcem lege : & illum,
Mentis in archiuo conde, repone, tuo.
VALE: *Nouioduni, Idibus Octobris,* M. D. XLIII.

CAROLVS BOVILLVS
Senioribus, decrepitiſq;, fato
vitæ proximis
Sal.

Quæ cano vos audite ſenes, morboq; iacentes:
Aures carminibus mulceo, adeſte mihi.
Mors cunctis infeſta quidem eſt : ſed maxime morbo
Confectis, necnon decrepitis ſenibus.
Vos ego conuenio, citius mihi adeſte canenti:
Quæ proſint animis hæc lyra noſtra canet.
Audi curue ſenex, audi defecteq; morbo:
Mors vicina tibi eſt : ne tamen hanc metue.

CAROLI BOVILLI SAMAROBRINI DIALOGVS DE ANIMAE IMMORTALITATE,

Interlocutoribus Dryida ſapiente Gallo, & Aduena vndecunq; aduentitio, & peregrino.

ARGVMENTVM AD LECTOREM.

OCCASIONEM, quæ me in placidam huius Dialogi fœturam illexerit; ne forte eam prætermittam, audi Lector. Scripſi quidem dudum libros de animi Immortalitate tres: quibus annexui & quartum de Reſurrectione: ideſt, de futura ſoluti per mortem corporis inſtauratione, deq́; reuocatione immortalis animæ in priſcum quidem, ſed deinceps inſolubile, carnis domicilium, à quo nuſquam in poſterum depelli, & emigrare anima queat. Sed quia ſi quidem libri, affluente dicendi copia, paulo prolixiores euaſere; & nimia nunc breuitate oblectari homines ſolent: depoſui illos in ſcrinio, forte à lectorum penuria futuros tandem pabulum tinearum. Ne tamen ea de re viderer poſteris ſcripſiſſe prorſus nihil, reſumpto impiger calamo quædam, velut priorum librorum analecta, quæ lautiori eorum menſæ ſuperfuerant,

leuibus ſportulis recollegi. Et ex eis in priorum librorum ſupplementum breuem hunc dialogum confeci. In quo virum ADVENAM, ſicut vndecunq; peregrinum, ita & mente idiotam, cum DRYIDA ſapiente colloquentem, ac ſingula ab eo ſcitu digna percontantem, introduxi. Memorant enim hiſtoriæ, olim Gallorum ſapientes, (quos DRYIDAS à quercu veteres dixere: eò quòd in ſacrificiis dei Mercurii, quem veteres Galli colebant, aurea ſecuri viſcum è quercu demeterent) præ cunctis, quos memorat orbis, gnaros animarum immortalitatis extitiſſe: & ad eorum doctrinam vndecunq; è Gallia tyrannorum & nobilium filios conueniſſe: qui ab eis edocti, hominum animas poſt obitum non ire in nihilum: ſed poſt huius vitæ erumnas beatiore longè ſeculo frui: cum ipſi futuræ vitæ æuum breui ac miſero præſentis vitæ ſtadio anteferrent, & honeſtè in bello occumbere mallent, quàm diuturnam in ſegni otio vitam tranſigere, inſignem olim bellolorum gloriam genti Gallorum peperere. Quamobrem ea in re quam iſtic molimur, Dryidam ſapientem introducemus, velut præcipuum noſtri iſtius literarii ludi paleſtriten: eiq; ſubmittemus aduentitium & peregrinum quemlibet virum, qui diſcendi gratia operam ſapientis Dryide accuratè & feſtiuiter imploret: eiuſq; ferulæ blandas manus ſubdat: & ſingula, quæ de anima ſint ſcitu digna, ab eo ſigillatim percontetur. Dabimus autem primas feſtiuæ huius collocutionis partes Dryidæ: vt pote viro ſapienti, qui peregrinum aduentitiumq; virum pro foribus eius adſtantem comiter ſalutet: percontetur q; ab eo, quid velit. In hunc igitur modum rem noſtram auſpicato exordiemur.

DRYIDA.

DRYIDA.

SALVVS ſis, ô bone vir: vnde quæſo te nũc hîc video? ADVENA. Non incaſſum, neque caſu huc acceſsi, ô ingentis doctrinæ promptuarium, ingens nominis tui fama me huc illexit. Iuſtamq; mihi ad tua conuolandi limina cauſam dedit. DRY. Quam? ADVE. Eam inquam, quæ & eſurientes protinus ad eſcam decurrere iubet, & à malè habentibus adeundum ocyus medicum ſuadet. DRY. Eſuriit ergo fortaſſe tibi animus, aut quauis ægrimonia malè habet, & languet. ADVE. Vtroq; ſanè animi incommodo conflictor, & nimis excrucior. Eſurio etenim, quanquam non gregario materialis eſcæ deſiderio, verùm inſigni tuæ doctrinæ edulio cupiens ſaginari. Langueo autem graui vlcere animi, cùm erga deſiderabilem rationalium animarum ſcientiam dubius, anxiúſue in vtranq; partem claudicem. DRY. Aperi igitur citius, quæ ſint inteſtina illa animi tui mala: & qua quidẽ cumprimis inedia, ac fame, tibi animus laboret: quóue vlcere ſaucius ſeipſum iure deploret. Vbi enim ea reſeraueris, nulla me mora vtilem medelam iuxta vires tibi adhibiturum confide. ADVE. Scio ego quidem, nihil vſquam eſſe homini exoptabilius, ſalubriúſue, quàm illum animam vtcunque noſſe ſuam. Quæ quanto quidem ipſa per fragilem, tenerámue, ac fictilem corporis vrnam, in cuius alueo latet, excellit: tanto maiores à nobis adhibendæ ſunt circa eam excubiæ. Et vigilantior habenda ſalutis illius cura, ac prouidentia. DRY. Quid hic, rogo te, vocas, hominem noſſe animam ſuam. ADVE. Intelligo quidem per id, hominem noſſe animã ſuam, nõ ſolùm hunc à limine,

aut perfunctoriè, ſcire ſe ſub cute animā habere: quoniam plebeius nemo tam beſtia eſt, & inops ſenſus, qui neſciat ſe eſſe hominem: leone, & quouis animante digniorem: ideſt, compotem rationalis animæ: & participem rationis. Iſtud quidem, & ego dudum à puero edidici: qui audierim, etiam mox poſt matris vbera, me & cane, & equo, & quouis alio animante altiorem fore: & non minus potiſſima animæ dignitate, quàm corporis forma, ac venuſtate illis præcellere. Volo autem per id, quod dixi, innuere profundius quiddam. DRY. Exhibe ergo ocyus dicterii illius tui ſignificantiam. ADVE. Cùm dixi, hominem animam noſſe ſuam: per id intellexi, hominem non ſolùm de ſuperficie, ſed ab intus, & corde tenus, illum præſignes noſſe animæ ſuæ dotes. Vti an inquam illius eſſentia, ſit poſt obitum, ſtabilis & fixa: an verò inſtar leuiſsimæ bullæ ſit ſolutilis in fumum, aut labilis in nihilū. DRY. Vt videre videor, non tibi impræſentiarum de ſubſtantia animæ controuerſia eſt, ſed de illius ſtabilitate lis agitur. ADVE. Non alius ſanè mihi ſcrupus incumbit, Credo etenim ego, ac belle ſcio, me quidem ipſum fore animæ participem: ſed exigo abs te rationis arrabonem, quæ me tandem doceat, illam eſſe manu mortis altiorem, id eſt in æuo ſtabilem: & tam de ſuapteipſius ſubſtantia, quàm de ſuarum omnium virium clientela perennem. DRY. Non exiguus certè ſcrupus tibi moleſtus eſt, teq́; intrinſecus angit. Nam vt liquidò tuis ex verbis agnoſco, tibi quidem placido in æquore rationalium animarum nauiganti ſiniſter aliquis ventus illuſit, & malè fauit: à quo certè vel in ſcopulos tua impegerit nauicula: vel immane naufragium ea ſit perpeſſa: vt qui mihi de ſtatu ac dignitate animæ tam anxius, dubiusq́; videare. ADVE. Im-

pegit profectò meæ nauiculæ temo altius in ſcopulos, & quidem immanes: vt penè ea colliſa ſit, quanquam prorſus naufragium non fecit. DRY. Sic igitur, in quos incideris periclitantis animæ ſcopulos: & quo vulnere conflictata illius nauicula: non longè ab imminenti naufragio dehiſcat. ADVE. Enutritus aliquandiu fui, deliciasq; foui inter enerues regiorum aulicorum greges: in quorũ contubernio ſic vixi, vt plus improbum, quàm felix vitæ genus inter eos traduxiſſe me pigeat. In eorum enim caterua plurimos offendi, quibus de futuro animarum ſtatu nil cogitantibus, immò iuxta ſuorum deſideriorum luxum viuentibus, anima profectò ſua, nihilo ſit pluris, quã anima equi, & iumenti. Adeò vt illis in perniciem ſuam alludat pſalmiloquus iſte verſiculus, Homo cùm in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt brutis, & iumentis inſipientibus. DRY. Ritè id, quod cecinisti eloquium, plurimis in imas vitiorum ſordes lubricantibus alludit: ſed & non abs re vulgus publico in prouerbio iſtud per vrbium plateas compita circunfert, Humana inquam ſub cute, plurimæ latent feræ. Hinc enim fit, vt cùm omni hominum ſpecie viuere equidem, & conuerſari tutò liceat: ſed non illico proſit, ac ſecurum ſit, omnium moribus imbui. Quandoquidem ſingulorum vitæ, viuendiq; modo fieri conformem noceat: Cum id, in plurima interim vitia inſontem abſtrahat, illiciatq; mentem. ADVE. Haud adſcribenda eſſet piaculo grandi, neq; magni faciunda ſolius carnis ægrimonia, aut qualiſcunq; corporis lues, in quam quiſpiam ab exitiali, & peſtifero perditorum hominum ſodalitio inciderit: Verùm vbi vſque in intraneum animæ ſinum dira, ac lethalia ſparguntur venena, actum illico de nobis eſt. Quando quidem

animo malè habente, tota mox peſſum eat hominis ſubſtantia:nihilq́; demum periclitante alueo animæ nobis ſuperſit, in quo locemus ſpem ſalutis reſiduam. DRY. Quale igitur ei vulneri, quo male te habere quereris, exigis adhiberi cataplaſma. Víſne vt de animæ immortalitate, vel maiorum autoritatibus efficiam te certioré: vel an mauis ad eius myſterii notitiam te nitidis rationum ſplendoribus euehi & adduci? ADVE. Quanquam maiorum autoritates bene apud me audiant: malim tamen ſplendoribus rationum, quàm vulgatis antiquorum ſapientũ dicteriis id mihi, quod peto, conficias argumenti. Nam ſicut qui arboré conſcendit, ſecurior in illius ſtipite, quàm in ramuſculis ſedebit: ita maluerim, in re dubia, ſolido fulciri ſtipite rationum, quàm leuibus inniti ſtolonibus, aut virgultis autoritatũ. Quibuſquidé haud ſecus, quàm arbitrariæ hominũ voluntati minus ſit à viro ſapiente confidendũ. Rationis enim lumen, quanto quidem præferimus lunæ ſolem, noctiq́; diem: ita & arbitrariis maiorũ autoritatibus eſſe anteferendum, ambigere poteſt doctus nemo. DRY. Si maiorum ſententiis & autoritatibus tantæ rei momentum tibi confici flagitares: tanto, crede mihi, lõgiore id ſermone fieret, quanto multorum forent opiniones obiter recitandæ. Eorum ſcilicet, quos memorant hiſtoriæ, olim de immortalitate animarum, & perenni earum æuo ritè ſenſiſſe, & rei veritatem edocuiſſe. Quia verò nunc rationibus apud te, me mauis vti: breuior longè tecum fuero, quanto quidem noris monadis apicem multitudine numerorum collectiorem, & ſuccinctiorem eſſe. ADVE. Conſentaneum ea in re profectò me experiere noſtræ ætatis hominibus: nam breuitatis amatorem: vt qui longum pertæſus ſermonem, malim rem tantam paucioribus, & quidem

dem firmioribus, quàm pluribus, & minore dignis fide, mediis confici. DRY. Faciam igitur quod iubes: vt impræſentiarum omiſsis autoritatibus tam Græcorũ ſapientum, quàm barbarorum (qui poſt obitum, ſeu perfunctoriæ carnis excidiũ, manere animas, ritè & ſenſerunt, & docuerũt) diſquirarn fidem rationis præſidiũ, quo edoceare, Hominis animam haud eſſe impermanentẽ: & nequaquã fragilibus Parcarum filis, vt nõnullis placet impiè ſubdendam. Sed hanc in ſemetipſa ſtare fixam, & in perenni æuo felicem habituram manſionem. Priuſquam tamen in rem ingrediar, & ad id operis accingar, vnum cumprimis iſtud ex te ipſo ſciſcitabor: Num, inquam, audieris inter quoſdam, qui ſe doctos, & bucca grandi ſapientes arbitrantur, opinionem iſtiuſmodi inualuiſſe, vt temerè velint, nulla poſſe confici ratione, hominis animam fore perennem, & immortalem? ADVE. Inter quidem aulicos, & modicæ eruditionis viros, iſtud perfrequens auditur. Quod quidem etiam principii, ſeu parœmiæ cuiuſdam, apud eos locum habet. Addo vt eorum quibuſdam ſit formidini, & pauori, audire, Animam nulla morte abolendam. Et exinde ad auditionem immortalitatis illius, quæ feliciſsimam nobis promittit ſpem, ambabus aures manibus obducant inde que lugeãt, & planè ingemiſcãt: vnde ediuerſo, eos ſibiipſis aggratulari, & applaudere decuerit. Attamen an è doctis quiſquam tantæ ſit dementiæ vix crediderim. DRY. Neminem quidem noui è doctorum virorum grege, qui tanta animi perfidia laboret, vt credat, animam cum corporis interitu in nihilum ituram. Veruntamen ſunt inter eos, non pauci, qui animæ immortalitaté vlla poſſe ratione cõmonſtrari peruicaciſsimè diffitẽtur. ADVE. Vnde ergo ſi animarũ immortalitaté ſibiipſis



BOVILLVS MALLARIO RARAE LITERATVRAE VIRO.

Ne dubites Doctor, tibi quid monogrammia præſens
Exprimit : hæc animæ plurima ſenſa docet.
Sicut enim mundi gemina eſt fax, magna diei
Vna præeſt, nocti cætera præficitur.

Sic

Sic animam endelechia hominis probat eſſe perennem:
Per ſenſus carni eſt reſtituenda ſuæ.
Hactenus, & nec plus, mors eſt mors : quàm quia ad horam
Fœdus perrumpit corporis atq; animæ.
Poſtea perfracto hoc naturæ fœdere carnis
Fictile vas atros diſſilit in cineres,
Hæc omnis mortis virtus, auguſta facultas,
Quæ potis eſt carnem ſoluere, non animam.
Poſt mortem nobis animæ menteſq; ſuperſunt
Incolumes : hac ſpe viuimus impauidi.
Conſtantes eſtote igitur : nolite timere
Mortem, quam vſqueadeo vulgus inane pauet.
Contra etenim hanc mortem geminis ſtabilimur in armis,
Et duplici certè contegimur clypeo.
Spes nobis conceſſa duplex eſt : vna quidem, quæ
Subiectam morti denegat eſſe animam.
Cætera ſpes etiam felix, quæ corpora nobis
Integra nonnunquam reſtituenda docet.
Hæc cano non rudibus rerum,at tantummodo doctis:
Qui norint, quid ſint : quid caro, quid'ue animus.
Hinc habeant rerum ignari, quos ſub iuga mortis
Ignauus miſit, perdomuitq; metus.
Ignorant etenim quid ſint : an ſint homines, an
Bellua, cui mentis candida gemma deeſt.
Talibus, haud mirum, ſi mors dominatur amara,
Ignaroſq; ſui ſub ſua ſceptra tenet:
Huc veniant ſoli, qui ſe nouere, quibuſ'ue
Doctæ animæ mortis ſpicula non metuunt.
Hi ſiquidem ſoli à gemina ſpe temnere mortem
Norunt : nam mundo his altior eſt animus.
Mente etenim ſeſe immortales eſſe ſimulq;

Corpora nouerunt reſtituenda ſibi.
Felix eſt igitur mens, quæ bene conſcia veri,
Euaſit, quam ſpes iungit vtraq; Deo.

CAROLVS BOVILLVS SAMAROBRINVS AMICO LECTORI SAL.

SCISCITABERIS, *candide Lector, ſi percontaberis à me, quid ſibi velint Dialogi hiſce tres, quos recens in lucem dedi. Audi obiter occaſionem, quæ tuo ſatis poſtulato ſit allatura. Præteriere aliquot iam amni, vt ex calce ſingulorum videbis, quibus ſedentaria lucubratione mecum de more priuato in otio colludens, illos confeci. Tamdiu hi meis ſub ſubgrundijs ignoti prorſus & frugi nullis conticuere, quoad Theologus inſignis Nicolaus Hieronymus Mallarius, vir non gregariæ doctrinæ, illos ex auditione titulorum ad prælum depopoſcit. Huic, vt viro amiciſſimo, eorum curam permiſi, & ſub nominis eius auſpicio è tenebris ſub dio dedendos facile conſenſi. Agnoſces ex eorum lectione, quid illi auidis mentibus ſtipulentur. Quòd ſi fortè eorum te lectio grauabit: id celerius à feſtiuis & plauſibilibus eorum titulis diſce: qui velut tubæ è ſumma arce clangentes, ad tria quædam ſcitu non indigna, (ad inquam Animarum immortalitatem, ad Corporum reſurrectionem, & ad ſupremum mundi excidium, cum illius inſtauratione) quoslibet ſecus limen prætereuntes inuitant. Quamobrem quiſquis eris, Lector, qui prior eorum eſculenta lectione te ſatiaueris: ſi qui fortaſſe alij, earum adhuc rerum ieiuni, abs te ſciſcitabuntur, quid illis inſit medullæ, quid denique dapum, & quid ambroſiæ ſint hi eſurientibus ac ſitientibus ingenijs allaturi: hos benigne commonefac, vt ad præcocem titulorum clangorem propenſiores arrigant aures. Eorum enim cum*

primis

primis titulos ſat bene audire, ſui orexim gignere : vt qui non ad ridiculam aſini vmbram, nec ad vilem carbonum theſaurum philomatem quemq; illiciant : ſed altioris theoriæ axiomata ſtipulentur. Pulſet igitur tenera ſollicitus Lector oſtiola: nec tantum à limine illos peregrino pede ſalutet : verùm in adyta penetret: illic ſedentarius hoſpitetur, diſcumbat: bellaria quæque, & occultiores oſsium medullas, ſuaui labiorum philemate delibet. Nec enim tandem vel ex eorum lectione ſe horarum iacturam feciſſe, vel ex eorum coemptione alium quàm cādidum in vrnam ſuam lapillum immiſiſſe deplanget. Vale, & breuitatem epiſtolæ excuſa. Quòd ſi plura exigis, ea à ſequenti epigrammate, quod tibi ex tempore concinui, depoſce.

AD LECTOREM.

Ne pete, mi Lector, ne quære, quid ex opere iſto,
Quæ menti veniant emolumenta tuæ.
Ad titulos patulas aures exporrige : & ex his
Agnoſces, proſint quid ſitienti animo.
Oſtia præteriens palpes : tere limina, & intres:
Vt paſcat mentem grata medulla tuam.
Non ad theſauros carbonum, non ad aſelli
Dignam riſu vmbram, te liber iſte citat,
Hunc eme ſtipe leui, Lector : ne parce crumenæ:
Exiguus tibimet grandia nummus emet.
Quid melius, quàm ſcire animam poſt fata manentem,
Non ſolui in fumos, ire nec in nihilum?
Nec minus ex uſu eſt : carni, quæ morte cinis fit,
Reddendam ſpeciem, corporeumq; decus.
Scire etiam prodeſt, nitidi quia machina mundi
Ignibus extremo ſit peritura die.

 Et

Et quia pacato tandem inſtauranda Deo ſit:
Atq; rediuiuo reſtituenda homini.
Hæc tria, digna quidem ſcitu, liber hic tibi ſoluet:
Hunc obolo tenui candide Lector, eme.
Nec duntaxat eme hunc: ſed & ad calcem lege: & illum,
Mentis in archiuo conde, repone, tuo.
VALE: *Nouioduni, Idibus Octobris,* M. D. XLIII.

CAROLVS BOVILLVS
Senioribus, decrepitisq;, fato
vitæ proximis
Sal.

Quæ cano vos audite ſenes, morboq; iacentes:
Aures carminibus mulceo, adeſte mihi.
Mors cunctis infeſta quidem eſt: ſed maxima morbo
Confectis, necnon decrepitis ſenibus.
Vos ego conuenio, citius mihi adeſte canenti:
Quæ proſint animis hæc lyra noſtra canet.
Audi curue ſenex, audi defecteq; morbo:
Mors vicina tibi eſt: ne tamen hanc metue.

CAROLI BOVILLI SAMAROBRINI DIALOGVS DE ANIMAE IMMORTALITATE.

Interlocutoribus Dryida ſapiente Gallo, & Aduena vndecunq; aduentitio, & peregrino.

ARGVMENTVM AD LECTOREM.

OCCASIONEM, quæ me in placidam huius Dialogi fœturam illexerit; ne forte eam prætermittam, audi Lector. Scripſi quidem dudum libros de animi Immortalitate tres: quibus annexui & quartum de Reſurrectione: ideſt, de futura ſoluti per mortem corporis inſtauratione: deq; reuocatione immortalis animæ in priſcum quidem, ſed deinceps inſolubile, carnis domicilium, à quo nuſquam in poſterum depelli, & emigrare anima queat. Sed quia ſi quidem libri, affluente dicendi copia, paulo prolixiores euaſſere; & nimia nunc breuitate oblectari homines ſolent: depoſui illos in ſcrinio, forte à lectorum penuria futuros tandem pabulum tinearum. Ne tamen ea de re viderer poſteris ſcripſiſſe prorſus nihil reſumpto impiger calamo quædam, velut priorum librorum analecta, quæ lautiori eorum menſæ ſuperfuerant,

aut perfunctoriè, ſcire ſe ſub cute animā habere: quoniam plebeius nemo tam beſtia eſt, & inops ſenſus, qui neſciat ſe eſſe hominem: leone, & quouis animante digniorem: ideſt, compotem rationalis animæ: & participem rationis. Iſtud quidem, & ego dudum à puero edidici: qui audierim, etiam mox poſt matris vbera, me & cane, & equo, & quouis alio animante altiorem fore: & non minus potiſſima animæ dignitate, quàm corporis forma, ac venuſtate illis præcellere. Volo autem per id, quod dixi, innuere profundius quiddam. DRY. Exhibe ergo ocyus dicterii illius tui ſignificantiam. ADVE. Cùm dixi, hominem animam noſſe ſuam: per id intellexi, hominem non ſolùm de ſuperficie, ſed ab intus, & corde tenus, illum præſignes noſſe animæ ſuæ dotes. Vti an inquam illius eſſentia, ſit poſt obitum, ſtabilis & fixa: an verò inſtar leuiſsimæ bullæ ſit ſolutilis in fumum, aut labilis in nihilū. DRY. Vt videre videor, non tibi impræſentiarum de ſubſtantia animæ controuerſia eſt, ſed de illius ſtabilitate lis agitur. ADVE. Non alius ſanè mihi ſcrupus incumbit. Credo etenim ego, ac belle ſcio, me quidem ipſum fore animæ participem: ſed exigo abs te rationis arrabonem, quæ me tandem doceat, illam eſſe manu mortis altiorem, id eſt in æuo ſtabilem: & tam de ſuapteipſius ſubſtantia, quàm de ſuarum omnium virium clientela perennem. DRY. Non exiguus certè ſcrupus tibi moleſtus eſt, teq; intrinſecus angit. Nam vt liquidò tuis ex verbis agnoſco, tibi quidem placido in æquore rationalium animarum nauiganti ſiniſter aliquis ventus illuſit, & malè fauit: à quo certè vel in ſcopulos tua impegerit nauicula: vel immane naufragium ea ſit perpeſſa: vt qui mihi de ſtatu ac dignitate animæ tam anxius, dubiuſq; videare. ADVE. Impegit

pegit profectò meæ nauiculæ temo altius in ſcopulos, & quidem immanes: vt penè ea colliſa ſit, quanquam prorſus naufragium non fecit. DRY. Sic igitur, in quos incideris periclitantis animæ ſcopulos: & quo vulnere conflictata illius nauicula: non longè ab imminenti naufragio dehiſcat. ADVE. Enutritus aliquandiu fui, deliciasq; foui inter eneres regiorum aulicorum greges: in quorũ contubernio ſic vixi, vt plus improbum, quàm felix vitæ genus inter eos traduxiſſe me pigeat. In eorum enim caterua plurimos offendi, quibus de futuro animarum ſtatu nil cogitantibus, immò iuxta ſuorum deſideriorum luxum viuentibus, anima profectò ſua, nihilo ſit pluris, quã anima equi, & iumenti. Adeò vt illis in perniciem ſuam alludat pſalmiloquus iſte verſiculus, Homo cùm in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt brutis, & iumentis inſipientibus. DRY. Ritè id, quod cecinisti eloquium, plurimis in imas vitiorum ſordes lubricantibus alludit: ſed & non abs re vulgus publico in prouerbio iſtud per vrbium plateas compita circunfert, Humana inquam ſub cute, plurimæ latent feræ. Hinc enim fit, vt cùm omni hominum ſpecie viuere equidem, & conuerſari tutò liceat: ſed non illico proſit, ac ſecurum ſit, omnium moribus imbui. Quandoquidem ſingulorum vitæ, viuendiq; modo fieri conformem noceat: Cum id, in plurima interim vitia inſontem abſtrahat, illiciatq; mentem. ADVE. Haud adſcribenda eſſet piaculo grandi, neq; magni facienda ſolius carnis ægrimonia, aut qualiſcunq; corporis lues, in quam quiſpiam ab exitiali, & peſtifero perditorum hominum ſodalitio inciderit: Verùm vbi vſque in intraneum animæ ſinum dira, ac lethalia ſparguntur venena, actum illico de nobis eſt. Quando quidem

animo malè habente, tota mox peſſum eat hominis ſubſtantia:nihilq́; demum periclitante alueo animæ nobis ſuperſit,in quo locemus ſpem ſalutis reſiduam.DRY. Quale igitur ei vulneri,quo male te habere quereris,exigis adhiberi cataplaſma. Víſne vt de animæ immortalitate,vel maiorum autoritatibus efficiam te certiorē: vel an mauis ad eius myſterii notitiam te nitidis rationum ſplendoribus euehi & adduci?ADVE.Quanquam maiorum autoritates bene apud me audiant:malim tamen ſplendoribus rationum,quàm vulgatis antiquorum ſapientū dicteriis id mihi,quod peto,conficias argumenti. Nam ſicut qui arborē conſcendit,ſecurior in illius ſtipite,quàm in ramuſculis ſedebit:ita maluerim, in re dubia,ſolido fulciri ſtipite rationum,quàm leuibus inniti ſtolonibus, aut virgultis autoritatū. Quibuſquidē haud ſecus,quàm arbitrariæ hominū voluntati minus ſit à viro ſapiente confidendū. Rationis enim lumen, quanto quidem præferimus lunæ ſolem, noctiq́; diem:ita & arbitrariis maiorū autoritatibus eſſe anteferendum,ambigere poteſt doctus nemo. DRY.Si maiorum ſententiis & autoritatibus tantæ rei momentum tibi confici flagitares:tanto,crede mihi,lōgiore id ſermone fieret, quanto multorum forent opiniones obiter recitandæ. Eorum ſcilicet,quos memorant hiſtoriæ, olim de immortalitate animarum, & perenni earum æuo ritè ſenſiſſe, & rei veritatem edocuiſſe. Quia verò nunc rationibus apud te, me mauis vti: breuior longè tecum fuero, quanto quidem noris monadis apicem multitudine numerorum collectiorem, & ſuccinctiorem eſſe. ADVE. Conſentaneum ea in re profectò me experiere noſtræ ætatis hominibus: nam breuitatis amatorem: vt qui longum pertæſus ſermonem, malim rem tantam paucioribus, & quidem

dem firmioribus, quàm pluribus, & minore dignis fide, mediis confici. DRY. Faciam igitur quod iubes: vt impræſentiarum omiſsis autoritatibus tam Græcorũ ſapientum, quàm barbarorum (qui poſt obitum, ſeu perfunctoriæ carnis excidiũ, manere animas, ritè & ſenſerunt, & docuerũt) diſquiram fidem rationis præſidiũ, quo edocearе, Hominis animam haud eſſe impermanentẽ: & nequaquã fragilibus Parcarum filis, vt nõnullis placet impiè ſubdendam. Sed hanc in ſemetipſa ſtare fixam, & in perenni æuo felicem habituram manſionem. Priuſquam tamen in rem ingrediar, & ad id operis accingar, vnum cumprimis iſtud ex te ipſo ſciſcitabor: Num, inquam, audieris inter quoſdam, qui ſe doctos, & bucca grandi ſapientes arbitrantur, opinionem iſtiuſmodi inualuiſſe, vt temerè velint, nulla poſſe confici ratione, hominis animam fore perennem, & immortalem? ADVE. Inter quidem aulicos, & modicæ eruditionis viros, iſtud perfrequens auditur. Quod quidem etiam principii, ſeu parœmiæ cuiuſdam, apud eos locum habet. Addo vt eorum quibuſdam ſit formidini, & pauori, audire, Animam nulla morte abolendam. Et exinde ad auditionem immortalitatis illius, quæ felicisſimam nobis promittit ſpem, ambabus aures manibus obducant inde que lugeãt, & planè ingemiſcãt: vnde ediuerſo, eos ſibiipſis aggratulari, & applaudere decuerit. Attamen an è doctis quiſquam tantæ ſit dementiæ vix crediderim. DRY. Neminem quidem noui è doctorum virorum grege, qui tanta animi perfidia laboret, vt credat, animam cum corporis interitu in nihilum ituram. Veruntamen ſunt inter eos, non pauci, qui animæ immortalitatẽ vlla poſſe ratione cõmonſtrari peruicacisſimè diffitẽtur. ADVE. Vnde ergo ſi animarũ immortalitatẽ ſibiipſis

 aliq

aliquo pacto perſuadent: ſi legitimam philoſophicæ rationis viam ad id myſterii præcludere omnibus audent? DRY. Solo fidei clypeo aduerſum contrariæ opinionis viros eam contuentur: dicentes, etiam periclitari,& amitti expectatum præcurrentis fidei premium, vbi importune exigimus lumen & claritudinem rationum. ADVE. Sinamus ergo illos, proſitq; illis noxia ſuæ ipſorum opinionis labruſca, quæ mihi eam quam eſurio eſcam non propinat:immò prorſus negat. Tu verò accingere ocyus vrgenti negotio: nec amplius differ, addere ſaucio mihi, id quod noris vtile cataplaſma. DRY. Audiſtíne aliquando nomen Endelechiæ: & quid per endelechiam voluerint antiqui? ADVE. Inſueta nimis & inaudita mihi iſtiuſmodi nominis vox: ſua nouitate me ſuſpendit, measq; planè aures obtundit. Quî ergo ſcire queam, quíd conuenerit antiquorum doctrinæ per inſuetum & ignotum endelechiæ nomen? DRY. Rem, crede, grandem & arduam ſignat id nominis: nec eſt ſanè alius vſquam propius, & expeditius medium, quo conficiat quis præualidum non perituræ animæ ratiocinium. ADVE. Ediſſere ergo e veſtigio, quid ſit endelechia: vt diſcuſſo illius nominé, tandem agnoſcam, an rationalis animæ ſubſtantia ſit in ſeipſam reciproca: & nequaquam illius dignitati, ſicut cæteris animalibus, in fugaciſsima temporis meta, dimenſum fuiſſe adeo breuem ſubſiſtendi orizōtem. DRY. Endelechiam veteres Græcorum ſapientes dixere, continuitatem intimæ actionis: ſeu perpetem quendam actum, & occultiſsimam animi motionem: abſque obice vllo, abſq; item virium defatigatione: quam ſecretiſsime, in ſolo animæ ſinum, ſeſe congyrantem. ADVE. Aperi, quæſo, quid ſtabilitatis ac permanentiæ, ab iugi illa, & indefatigabili

nimæ actione ſit ipſi animæ tribuendum. DRY. Vbi feli-
iſsimam huiuſmodi actionem priſci autores in occulto
nimæ gremio reponere didicerũt, neceſſe eſt, vt per eam
llico iugẽ aſſeuerent, perennemq́; fore ipſius animæ ſub-
tantiam, velut comitẽ eiuſce digniſsimæ & ignotæ actio-
is, & annexam illi in æuo. Nam nequit vſquam actio vl-
a in ſeipſa fulciri, per ſeq́; ſubſiſtere, velut pendula in va-
uo & inani collibrata. Cùm ſit operæpretiũ omni actio-
i, velut cuidam accidenti addere ſolidum ac ſtabile co-
nitis ſubſtantiæ fulcimentum. Et perituræ quidem actioni
ecet adiungere perituræ ſubſtantiæ hypodochen. Et iugi
diuerſo ac ſtabili actioni ſubſtantiam ſubdere iugem, ſta
ilem, ac permanentem. ADVE. Aequam ergo vis fieri de-
ere ambarum commenſurationem ac ſtateram, vt omnis
uidem ſubſtantia ſit ſuæ dicenda actioni par: & actio
dentidem omnis ſuæ ſit faciunda ſubſtantiæ coæua. DRY.
andem prorſus inter hæc duo ſtaterã fieri iubeo. Adeo,
t indignum iudicem, & accidere præter naturæ ſeriem,
terum alteri deeſſe: aut aliud ab alio, ſaltem in duratio-
is limite, & in linea permanentiæ tranſcendi & exupera-
. Alioqui ſi quis hæc dixerit, non fore æqua, nec paria:
m is quidem vel actionem, ſine ſubiecto, & ſine ſede ful-
entis ſubſtantiæ male per ſeipſam, nempe viduatam &
anem ſubſiſtere fateretur: vel aliquam quidem ſubſtan-
am ceſſante omni ipſius actione, diceret inanem ſuper-
ſe & viduam: vt pote actu vacuam, & in mundo otio-
m: nempe exiſtentem quidem, & nihil agentem. ADVE.
a prorſus res habet. Etenim cõtueor iam clariore radio,
velut ſub dio, neceſſariam iam eſſe cõmenſurationem
iuſmodi duorum, ſcilicet ſubſtantiæ & actionis. Et fa-
ndam, ſaltem in durationis limite, ambarum paritatẽ.

DRY. Seruanda vbiq; eſt æqualitas iſtius menſuræ,qua id caueas, ne cunctis in rebus alio quàm funiculo ſubſtantiæ metiaris, & potiſsimam illius actionem. Et funiculo quoque rationis viceuerſa ſubſtantiam, in qua hæc actio ſedet,metiare. Eo inquam pacto, vt ſubſtátiæ fugaci, caducæ,& in ſolius meta temporis duranti,actionem des extemporaneam: Et æuiterno dones æuiternam. Et ediuerſo,ab actionis qualitate augurium tibi deſume,quale quidem & cuiuſmodi debeat ſubſtátiæ robur illi reſpondere. ADVE. Deprehendo iam,quorſum vela tui iſtius argumenti in altum explicueris. Vis enim, ab actione iugi,perenni, & interpolabili, quam Endelechiam vocas, emungere eam rationem, qua tandem confles, animæ ſubſtantiam, velut eiuſce beatiſsimæ actionis dote locupletem,breues temporum metas præcellere. Eamq; velut etiam indeſituræ ſuæ actionis comitem futuram angelis in manſione & permanentia æui ſocialem, ac parem. DRY. Nuſquam crede,aliò peregrinandum tibi eſt:vt diſquiras, quod aiunt, à Babylone, vel certè ab Antichthonum orbe,rationem immortalitatis animæ, quàm ſola dos endelechiæ, pro frontiſpicio & foribus animi vltrò eá diſquirentibus offert. ADVE. In prouerbio vulgi eſt,fruſtrà id fieri per plura, quod poteſt paucioribus abſolui. Et incaſſum pergere quenquam aut Babylonem, aut Romam, vt ea ingenti ſumptu ſibi promeretur,quæ illi vel in domeſtici hortuli pomerio, vel vicino in agro ſponte naſcuntur. DRY. Vt igitur rem,quá exigis,breuibus ſub verbis abſoluá,vtere hoc enthymemate vim ratiocinationis, & demonſtrationis habente, Anima hominis iugi actione pollet: ergo & illius eſſentia peritura non eſt. Tuere quoq; teipſum iſtiuſmodi breui ſyllogiſmo, velut fideli ſcuto, aduerſum eos omnes, quos de

animæ immortalitate anxios,penſiles, ac dubios offendes. Hic enim ſyllogiſmus imbellis non eſt, qui occultum rationis mucronem & clypeum præ ſe fert:docetq;,hominis animam,nec vllum temporis ſenium, nec defectionemvirium, nec ſuæ immortalis ſubſtantiæ exterminium viſurá. A D V E.Eſto quod ais, vt iſtiuſmodi,quod iam confeciſti, enthymemate ad nullos non dubios,ſecurè & impunè vti queam. Attamen ſi mox primo congreſſu meum in me retorturi ſunt gladium : quippe qui cauſabuntur,illum ad id fore inualidum,& acumine retuſum,imbellemq;:vt tantam rem, & mihimetipſi, & illis conflem.D R Y.Quam ob cauſam inualidū fore id , quod iam confeci enthymema, aduerſarii contendent? A D V E. Quia nihil vſquam in exhibitione ratiocinationum adſumi debere vniuerſi cēſent, niſi id , quod illico vel per ſe , vel per emutuatam aliunde luminis faculam fuerit perſpicuum & clarum. Alioqui ſi quid obſcurum illis ante oculos adſtiterit,mox aut id vertent in nauſeam,faſtidientq;, & aures auditioni eius occludent : aut certè illius rationem pro foribus dari ocyſsime depoſcent : quæ adhibeat obſcuræ dubiæq; rei ſuam facē, & neceſſarium lumen.D R Y.Dic igitur ſi quid in meo enthymemate inſerui,quod tibi videatur obſcurū, & ſubdubium:cuius lumen ſit alicunde diſquirendum.A D V E.Propoſitio , quam in eo primam adſumpſiſti , dubia mihi & ſubobſcura viſa eſt:ſuiq; luminis indiga. Hactenus enim à nemine edidici, animā rationalem,perenni actione pollere:ea ſcilicet,quam vocas endelechiam : vnicam quidem & præcipuam,vt ais,totius immortalitatis animarum cauſam. D R Y. Perpendo quid velis. Vis enim, vt prolixiore tecum ſermone de endelechia , velut illuſtriſsima animæ gemma congrediar : & cœptam verborum ſeriem ea de

re vlterius prorogem. ADVE. Cùm enim iam præmiſeris, quid ſit endelechia : perge quæſo oſtendere, quo iure hæc in occultis animæ finibus ſeſe abdiderit. Hoc enim oſtenſo fixum erit tuũ enthymema, & nulla ſui parte obſcurũ, aut dubium. Nam vbi docueris, hominis animam arcano endelechiſmi munere pollere: tum nihil ambiguum ſupererit mihi, in expetibili, ac deſiderata animæ ſcientia, quin illico ad ſcientiam doctrinæ tuæ, qua animam à mortis fato, & filis Parcarum credam fore immunẽ, diciq; debere immortalem. DRY. Efficiam quod petis, vt primam mei enthymematis propoſitionẽ vendicem è tenebris in lucẽ: & ex obſcuro ponam eã ſub dio. ADVE. hoc confecto negotio anchorã hinc vt voles, maturè ſoluemus: inq; litore ſedẽtes vela plicabimus: aliò, quo libebit, diuerticulũ iſtinc facturi. DRY. Ingrediar ergo ocyus in rẽ. Dic, quæſo: Noſtíne (quod Geometer docet) quid linea, & quo pacto illius genus ſit in geminas ſpecies, rectã, & curuã diducendum? Quídve deinceps recta linea, & quid curua? quæ deniq; differentiæ ambarũ? ADVE. Hæc omnia mathematicæ diſciplinæ me ab ephebis edocuere. Sed rogo, quid iſtud modò prodeſt: & quorſum ad animam: vt arcanas illius dotes ab illis tã longinquis & impertinentibus mediis ſcire implorem? DRY. Mathematicæ diſciplinæ, quanquam diuerſiſsimũ ab anima ſcientiæ genus conflent: ad humanarũ tamen, diuinarumq; rerũ notitiã non mediocre; nec dandũ neglectui, gerunt momentũ. Adeò, vt non minus de humanis, quàm diuinis de rebus hunc virũ ritè philoſophari poſſe negem, quem fefellerit, & orphanum liquerit inſigne mathematicarũ ſcientiarũ præſidiũ. ADVE. Demiror admodum, ſi id quod refers, ita re reuera ſe habet. DRY. Quamobrem? ADVE. Quia noſtra hac ætate

mathematicæ diſciplinæ, velut exigui immò planè nullius, ad màiora adipiſcenda momenti, à plurimis poſt tergum reiiciuntur: qui prorſus eas faſtidiunt, & vili habent. DRY. Non ignoro, quàm temerè, & quanta iuueniliũ ingeniorũ iactura, nonnullis noſtræ ætatis hominibus mathematicæ diſcipliuæ ſic viluerint, vt contẽptui prorſus, & nihili eis ſint: quas tamen longè amplius reuerita antiquorum autorum ſolertia, miro quondam extulit præconio. Adeò vt ex illis ad altiora ſcandendi præclara ſibi immania & congenea aptáue ſcabella doctæ illæ mentes, vereq; ſublimes, ſternerent. ADVE. Audiuiſſe me, nonnunquã id memini quod & tenaci memoriæ demandaui: veterũ ſcilicet autorum philoſophiam, inſigniore ſui parte lectam è mathematicis floribus, in rem tandem arduam & ingentem, atq; vberé coaluiſſe. DRY. Non incaſſum Pythagoram è numeris, Platonẽ è magnitudinibus omnia dudum cõflaſſe, cum fama, tum eorũ ſcripta docent. Cæteri quoq; permulti, dum nil abſq; numerorũ & magnitudinũ peritia ſciri poſſe voluerunt: ſcalam, gradúſue diſtinxerunt, quibus ab accidentibus, vti à ſignis, ad exemplarium & intelligibiliũ rerum archetypum, noſtra ſcanderet intelligentia. ADVE. Sinamus ergo nunc eos, quibus mathematicæ diſciplinæ, per ignorantiam obſorduerunt. Ocyus enim omiſsis his, abs te audire geſtio, quo pacto per lineam, & per linearũ ſpecies, ad arcanam animæ endelechiam meum tandem ſis euecturus ingenium. DRY. Nónne rectam lineam finit Geometer à puncto ad punctũ breuiſsimè protẽdi? ADVE. Inter enim ſuæ artis præcipua id ille ſibimet adſumere ſolet. DRY. Quæſo, an vſpiam vidiſti rectam lineam protendi abſq; geminorum punctorũ dyade? ADVE. Nuſquam. In vnius quippe puncti ſigno conflari video magnitudinẽ

 & di

& dimenſiónem prorſus nullam. DRY. Nullam ſanè. Propter eã enim cauſam fit, vt id, quod Arithmetici & Theologi per dyadem miſticè intelligi volunt: hoc ipſum Philoſophi innui ſibi velint per rectam lineam, quam vocant alteritatis, ſeu mutationis totius interuallum: per quod ab vno quopiam ente in aliud omnia quouiſmodo cómeant alióue demigrant. Quemadmodũ per curuã lineam à contrarii expreſsione ſigni innuunt identitaté entiũ, vel in ſuæ quidem ſede ſtabiliũ, vel ab alteritate, ac diuiſione omni, in ſeipſa remeãtiũ. ADVE. Expone ocyus quid ex his conflaturus ſis. DRY. Per hæc ſigna intelligi volo ſubſtantiales actus, & primogenias omniũ formas, quas quidem inſtar quatuor elementorũ docti quaternario diſpartiuntur; ſcilicet in actũ ſubſiſtendi, viuendi, ſentiendi, & intelligendi. A quibus omnia, quæ nitida cæli concinnitate teguntur, ſunt, viuunt, ſentiunt, & intelligunt. ADVE. Qualiter per rectæ curuæq; lineæ veſtigia primũ quidé eiuſmodi actus agnoſcam: vt exinde per eorũ notitiam de animi immortalitate certiorem fieri me contingat? DRY. Nimirum ſpecioſa diuini operis mirificentia in omni ſuæ creaturæ genere digna eſt ammiratione, & omni laude. Tres enim inferiores actus, ſcilicet eſſendi, viuendi & ſentiendi, conflauit ſapientia Dei in imo rectæ lineæ veſtigio. Actũ auté hominis, qué præcipuo rationis dono illuſtrauit, cunctiſq; præfecit, in linea parturiit reflexa & curua. ADVE. Vixdũ hæc capio. Obtuſior enim ſum ingenio. DRY. Ignoras lineam curuam ſicut recta formoſioré, ita & eã longè eſſe potiorem? ADVE. Minimè id ignoro: cùm ſit alteritate potior identitas. DRY. Ergo non abs re funiculo inferioris veſtigii inferiores actus prometior. Ratio enim exactæ analogiæ id illico facere me iubet. Supremum autem hominis

minis actum potiſsimo metiendum eſſe veſtigio, ambigit, quod norim, doctus nemo. A D V E. Inferiores igitur actus quoties de illis ſermo vſquam ingruet, ob rectæ lineæ veſtigium, dicendi erunt nomine recti. Aſt eminentiorem rationis & intelligentiæ actum à curuæ lineæ ſimilitudine vocabimus actum in ſe redeuntem, reciprocúmue, & curuum. D R Y. His ſanè nominibus erunt actus illi nō iniuria diſtinguendi. Cæterùm, ſicut rudem intelligentiam iuuat adminicularia ops ſenſibilium organorum: ita & hebetudinem ſenſuum, non modicè iuuat oculare adminiculum figurarum. Quamobrem inutile non duxi, vt te obiter familiari figurarū iuuamine in exquiſita veritatis retia compellam. A D V E. Non certè inuitus, ſed vltrò & ſponte cō loci, inſtar ouium ad paſcua, compellar: in quo ſperem meo me tandem errore liberandum. Perge igitur vtcunq; vis in tuam adurgere me ſagenam: vt ocularium figurarum præſidio, nanciſcar deſideratæ & expetitæ rei ſcientiam. D R Y. Scribo exempli cauſa in planicie rectam lineam A, B: ſitq; A, actus agēdi, è tribus inferioribus vnus, quem volueris: B autem ſit ſubiecta illi materies, qua abſq; nullū ſub cælis tibi perſuade ſubſiſtere actum. Dico A, actum quidem eſſendi, ſeu viuendi, ſeu ſentiendi, nihil prorſus in ſe, id eſt in ſuapte ſimplici eſſentia, actionis habere. A D V E. Agere igitur poterit hic actus nihil, ſi in ſimplicitate ſuæ eſſentiæ actionem habet nullam. D R Y. Abſit. Nolo enim hunc actū agere ideo poſſe nihil, & ideo ab omni actione marceſcere. Aut enim hic actus non eſt, aut certè ſemper ſe mouet, agitq; nonnihil. Sed quia omnis illius actio, quæ fit per interuallū rectæ lineæ A, B, in eius gremio non manet, ſed excutitur illico ab A in B: ideo hunc indicaui in ſimplicitate ſuæ eſſentiæ actionem habere prorſus nullam:

etenim deeſt illi facultas & virtus, ſuã in ſemetipſo actionem retinendi. ADVE. Quò pergit igitur, & quò tendit illius actio,ſi in actu agente non manet? DRY. Hæc ſimul atque prolata eſt, & è ſuo lapſa fonte, excurrit ab A; in B: ideſt,ab agente actu in materiã:& ſuſcipitur,demoraturq́; per tempus in B,ideſt,in gremio materiæ. Materia autem cùm ſit diuerſæ ſubſtantiæ ab actu A, etiam abiungi ab illo ſe in tempore patietur:nec illi ſemper, velut fida, & ſocia actionis, comes adſtabit. ADVE. Puncta igitur duo A & B, ideſt actus & potentia, ſeu linea tota A B, erunt forte vt quædam vnius rei naturalis ſubſtantia: velut aut lapis,aut arbor, aut quoduis animal. DRY. Erunt vt ais, & ſubſtantiam prorſus conflabunt eandẽ. Verùm quia temporum longinquitate fatiſcens demorari actus A,in potentia B, ſenſim tandem vergit in occaſum: ideo ſolutilis eſt ſubſtantia tota A B, & vel morti, vel corruptioni obnoxia. Morti quidem dico, in his, quæ ſunt animæ participia.Corruptioni verò,in his quæ ſunt animæ expertia.Nã mors abiunctio quidem quædam eſt duorum haud tamẽ cuiuslibet formæ à materia, ſed ſolius diductio animæ à corpore. Non enim ritè dixerit quiſquam, lapidem aut aquam,quippe animæ expertem, mori: ſed vetuſtate corrumpi. Corruptionis autem nomen vt nomine mortis latius eſt, ita & ſeparatio cuiuslibet formæ à materia latior eſt morte,qua corpora exanimantur.ADVE. Sinamus modò inanimata ſeorſum entia,deq́; his loquamur nunc ſolis,quæ in altiore gradu ſunt:quæ'ue vitalem ad minus animã ſortita:contrariis vitæ,mortiſq́; viciſsitudinibus aguntur.Non enim alii ludo nũc incumbimus, quàm vt potiſſimum animæ,id eſt humanæ mentis dinoſcamus immortalitatem. Cuius quidẽ inueſtigationi noſtra hæc paleſtra

& int

& intentio felicem aleam proſpera manu iecit. DRY. Probè: vt breuiore catadromo decurramus ac ſtadio. Etenim in ſorte inanimatarum ſubſtantiarum, vti in lapidum generibus, indecens prorſus eſt, & impertinenter admodum cadit mortis nomen. Hæ nempe, cùm tandem depereunt, non vtiq; morte ſolui, aut emori, ſed melius corrumpi, & aut ſitu, aut vetuſtate, vel putredine abſumi dicuntur. Quæ verò animam habent, vti arbores, animalia, homines: liquet ea per ſolam abiunctionem animarum, quam philoſophi mortem dicunt, cotidie interire. Sicut enim non omnis materia, corpus illico eſt, nec omnis illico forma eſt anima: ita nec corruptionem protinus omnem appellare licet mortem. ADVE. Hæc prorſus ita habent. Sed iam videamus, à rectæ lineæ ſimilitudine, in quibus rerum generibus diductæ corporibus animæ, mox è medio diſpereunt: nec eſt conceſſum illis, corpore exutis ſuperſtites fieri. Videamus etiam, in quo rerum genere mors minore vi pollet, vt pote quæ animam quanquam corporeis nexibus abiungit, veruntamen cùm illam in nihilum extrudendi, debilis ſit, & impos, ſuperſtitem eam linquit. DRY. Sine modo, atque omitte parumper lineam A, B. & ſcribe tibi eius loco lineam A C. quippe ex literarum alluſione, & paritate, melius & peramplius rei noſtræ congruẽtem: & propiorem, ſignificantiæ eorum entium, quæ ex anima & corpore, naturali hymenæo coaluerunt. Sit quæ A anima, c verò ob initiantem literam ſit corpus. Linea autem tota A C, ſit aut arbor, aut animal, aut homo. ADVE. Nihil ad me de ſola hac immutatione literarum, quæ nihil in rei ſubſtantia ſit varietatis allatura. Nam in officio docendi haud exigere docti ſolent veritatem exemplorũ. vt quæ non aliud redolent, quàm ſpontaneum hominis

arbitrium,quòd eruditionis cauſa hæc vtcunq; apta & vtilia confingere ſigna conſueuit, quæ oculis rudiorum bene proſint. DRY. Cùm puncta A, & C, per quæ intelligo animam & corpus,ſint diſsimillimæ ſpeciei : quanquam vnā conflent ſubſtantiam:ideo conceſſum eſt morti, fragilem eorū ſoluere dyadē. Mortis enim manus filum & integritatem lineæ A C, perrumpens,ſicut nexum nódúmve totius ſubſtantiæ A C,facile reſcindit, ac ſoluit:ita eam fore mortalem, mortíve obnoxiā oſtendit. Nihil enim cēſuero fore æternum, nil fixum & iuge, quod non fuerit prorſus verè & inſeparabile vnum. Abſit autem,vt aliquid ſit verè & inſolubile vnum,cuius concreuerit variis è rebus infirma ſubſtantiæ glebula : vt pote quæ ſtringit in ſe diſsimilium ſubſtantiarum vinculum & nodum. ADVE. Nulli dubium eſt, ſolutile mortalcq; eſſe id omne vnum , quod ex nodo coaluit diſsimilium ſubſtantiarum. DRY. Vnico igitur & pari argumento, conficio & arborem & animal omne, necnon & hominem (quorum ſubſtantiæ ex diſsimilibus rebus compactæ ſunt, vt linea tota A C,)eſſe entia perfragilia,ſeu cotidianæ morti per ſeparationem animæ à corpore obnoxia. Crede enim diſsimilitudinē ſubſtantiæ, in his quæ morti obnoxia ſunt, vnicam & ſolam adferre totius mortis cauſam. Ex qua ſufficientiſsimum, mortalitatis conflemus argumentum. Nunc verò omiſsis parumper totis ſubſtātiis morti obnoxiis, inſpectemns ſolas earum animas,videāmusq; an hæ,vbi eas à corpore facta ſemouerunt, ſtent adhuc in eſſe. An verò hæ continuo intereant, & eouſque vaneſcant, vt redeant in non ens. ADVE. Idipſum eſt, quod tantopere audire, ac ſcire mihi hactenus cordi fuit. DRY. De corporibus, quidnam hæc poſt animarum abiectionem patiantur, reor fruſtra

protelandum eſſe ſermonem. Cùm nulli dubium ſit, quod etiam oculus oſtendit, hæc illico, vbi abiunctæ ab illis animæ diſparuerunt, in interitum labi, inq; ſuos cineres à vermiculis erodentibus reſolui: ſolæ autẽ animæ, quia viſibiliũ oculorum aciei non parent, poſteaquam mors illas corporibus nudauit, an ſuperſint incolumes, ſcrupum & controuerſiam multis ingerunt. De quibus varios olim varia ſenſiſſe forte ab alio dudum audiſti. ADVE. Audiui, & quidem multotiens. Attamen de ſingulis ſingulatim animabus, ne erga me nunc ore ſobrius, aut parcior eſto. Quinimmo profer iam è largo tuæ ſapientiæ theſauro ea quæ ſint de his in pretio habenda, & memoratu digna. DRY. Operæpretium non fuerit, vt de ſingulis ſingulatim nonnihil dicam: cùm in cunctis citra hominem ſubſtãtiis, lex vnica promulget, animas rationis expertes ſemel à corpore abiunctas, non ſeorſum manere, nec ſuperſtites poſſe fieri: ſed mox relabi in nihilum. ADVE. Si vlla ratione edoceri id queat, ne modo eam ſupprime. Geſtio enim eam audire, qua meo ſatis deſiderio fiat. DRY. Noſtíne, in plantarum & in ſupplicium animalium generibus animas fore indiſcretas? id eſt, interioris totius numeri expertes? ideoq; eas nullam habere in ſeipſis agendi vim. Quandoquidem quicquid agunt & gignunt, id nequicquam intra ſe retentẽt, ſed vaſculo & crateri ſuſceptricis materiæ, corporeiſq; finibus illico demandent. ADVE. Expone, quæſo, id paulo euidentius. DRY. Reſume ante oculos lineam totam rectam A, C: quam mox, velut intercurrẽte mortis gladio, infringe: eamq; totam in partes duas A & C, velut à violentis Parcarum manibus diſſolue. Nónne corpus C, abiunctum ab anima A, mox ibit in eſcam vermium, & exinde in quiſquilias puluerum & cinerum? ADVE. Ibit profectò

in exterminium:ſed forte anima manebit, quanquam videri renuens, debiles oculorum aſpectus, intuitusq́; diffugiet. DRY. Nequaquam ſuperſtes illa erit, ſi fuerit hæc, aut arboris, aut animalis ratione carentis anima. Alioquin mundus rem aleret friuolā, otioſam, inanem, nihilq́; prorſus agentem. Quod quidem & ſanæ aurès audire perhorreſcunt: & inſigne philoſophorum vulgus id confitebitur nūquam. Ex doctorum enim turba nemo ocioſo enti, ſeu rei nihil agenti locum in mundo concedere audet. ADVE. Quamobrem? DRY. Quia nouit doctus quilibet, omnem mundi ſubſtantiam, tam benè, & eo quoque fine, inſtitutā fuiſſe à Deo, vt hanc in mundo poſſe ſubſiſtere ſapiens ille noluerit, niſi propter aliquem uſum, & vtilem quempiam ſuæ actionis fructum. Vbi igitur à ſubſtantia qualicunq; abſtuleris commoditatem fructúmve actionis: etiā dicere aude, quoniam mox eiuſmodi ſubſtantiam, velut caſſam, immò & inter entium genera inſtar infructuoſæ arboris officientem, ſolers, negotioſa, & plena officiorum mūdi aula reſpuit, excludit, ac detrudit in non ens. ADVE. Memini Virgilium de ſolertia apum cecinisse id carmen: Ignauum fucos, pecus à præſepibus arcent. Nónne iſtud præſenti propoſito belle alludit? DRY. Vtique. Nam & ſimile huic diui Pauli verbum iam tranſiit in prouerbium vulgi: Qui non laborat, inquit, non manducet. Sicut enim hortolanus infructuoſam arborē fruſtra terram occupantem non tolerat diu: ita & otioſa entia, nihílve agentia, ſolers mundi aula non ſuffert: quod & hoc carmine obiter explicui.

Quod frugi eſt nulli, quod agit nihil, & quod inane eſt,
Oſcurum mundus pellit in exilium.

Etenim fœnus actionis in quolibet ente cauſam affert, &

omen vtilis permanentiæ. Ideoq; qui actionem ſuccindit, tollit & illico rationẽ, occaſionémve permanendi. ADVE. Si ergo perrupto totius lineæ A c, modo, reſiduum punctum A, per quod effingo aut arboris, aut bruti animantis animam, nonnihil in ſeipſo agere ſufficeret, idq; abſque præſentia & adminiculo puncti c, per quod intelligo famulantem ſubiecti corporis officinam: tunc forte confiterere, punctũ A, eſſe quidem immortale, & ſubſiſtere etiam poſſe per ſeipſum abſq; cõmoditate & ope puncti c. DRY. Confiterer id haud dubiè, & quidem non iniuria: quia per ſuperſtitem eius arcanam & liberam actionem reſidua totius ſubſtantiæ pars, ideſt anima, iuſtam in ſeipſa, atq; legitimam nanciſceretur ſuæ immortalitatis & permanentiæ cauſam. Vt pote quæ licet abiuncta à puncto c, ideſt à patera, ſuæ actionis ſuſceptrice, eſſet tamen nihilo ſecius in ſeipſa præpotens agendi: necnon pluribus adhuc rebus vſui & frugi. Et ſi vis, alia nunc tecum vtar ſimilitudine, qua fortè euidentius id tibi, quod volo, negocii conflem. ADVE. Nihil audire me piget, aut mihi tædio eſt: dummodo de his quæ ſcire me expedit certior aliquo pacto & inſtructior fiam. DRY. Dic quæſo. Oculus cùm in ſpeculo ſtãte è regione ſui, ſe videt: nónne ſub rectæ lineæ interuallo patratur hæc ipſius à ſeipſo viſio? ADVE. Neceſſariò id ita habet: cùm ſtet pupilla oculi è regione & ex aduerſo ſpeculi: & inter oppoſita duo confletur vbiq; breuiſsima rectæ lineæ protenſio. DRY. Oculum rurſus percontor, nunquid factum natúmue putas ad id potiſsimum officii, vt videat: & vt præ cæteris ſua ipſius viſione fruatur? ADVE. Arbitror nil delectabilius oculo accidere, quã imbui lumine, viſioniſq; officium exercere, & quàm ſua præſertim ipſius viſione frui: cumq; ad id duntaxat im-

pendii reor factum & procreatum à Deo, vt ſeipſum videat. DRY. Hic enim finis eſt, & auſpicium cuiuslibet oculi: non vt in tenebris ſtet, aut vt clauſis palpebris aſsiduo obtorpeat ſomno: verùm vt ad lucem cumprimis expergefiat, variisq; rerum coloribus oblectetur: & potiſsime vt ſeipſum conſpicetur. ADVE. Sicut experimur, eſſe oculo omni iucundam & amabilē lucis inſpectionem: ita & dubium non eſt, contrariam lucis priuationem, ſeu tenebras illi iniucūditatem afferre, & mœſtitudinē. DRY. Sed nunc quæſo, imaginare, oculū vſqueadeò eſſe imbecillū, & alienæ opis indigum, vt nuſquam queat ſua ipſius viſione frui abſq; aſsidua materialis ſpeculi præſentia. dic iam mihi: faciésne, quæſo, hunc oculum immortalem, & aſsiduitate ſuæ inſpectionis felicem? ADVE. Hæreo anceps, quid reſpondendum ſit mihi. DRY. Temerè ſanè, & perperam hunc oculum iudicaret quis immortalem, & ſuo ſemper aſpectu gaudentem: inter quem, & nitidam aſtantis ſpeculi glaciem, tantæ obiter intercurrunt viſibilium impedimentorū cauſæ. ADVE. Quæ? DRY. Aegrimonia cumprimis, & indiſpoſitio oculi: abſentia item lucis: ſeparatio quæque, ſeu confractio ſpeculi: intercurrentia demum corporis opaci: hæc vtiq; vel pauca, vel leuia exercendæ viſionis impedimenta tibi videntur? ADVE. Nec pauca ſanè, nec leuia ſunt hæc obſtacula, per quæ defracto videndi radio officium viſionis intermittitur. DRY. Omnia hæc, nónne ſicut obſunt perenni cumprimis coporei oculi viſioni: ita & ſubinde illius immortalitati officiunt? ADVE. Obſunt ſanè vtriq;: ideſt, & viſioni & perennitati oculi. Nam temerè & incaſſum dixerit quis, ſubſiſtere & eſſe hunc oculum, cui quidem neutiquam adſtiterit iucundum & oblectabile ſuæ viſionis officium. DRY. Vis iam noſſe,
quo

quo pacto hunc oculum facturus ſim ex mortali immortalem,& ex caduco æuiternum? A D V E. Ad id rei feſtiuus & propenſiſsimus auditor efficiar. D R Y. Semoue, quæſo, ab oculis rectam parumper lineam, qua docui exercui forinſecam viſionem:vel confice,ſi lubet, ex recta linea curuam:& per curuæ lineæ veſtigium volue lucidam oculi ſpeculam in ſeipſam,velut iá ope, & obſequio materialis ſpeculi,vt ſuæ viſionis compos fiat,minime indigam: nónne iudicabis illico hunc oculum fieri ſibiipſi ſpeculum,eumq; arcana & ininterpolabili ſuiipſius viſione, iugiter intra ſe poſſe frui:in qua tantulæ priorum,quæ nunc retuli, impedimentorum cauſæ non cadent, quæ iucundum viſionis officium interpolent. A D V E. Cùm viſio in omnibus ſub rectæ lineæ prætenſione ab vno in aliud excurrat,quo pacto hæc per curuam abſoluetur lineam?D R Y.Præmiſi iam apud te eius rei cauſam, cùm dixi,rectam quidem lineam eſſe diuiſionis & alteritatis interuallum: atque ideo forinſecam oculi viſionem non alii vlli ſigno, quàm ſoli rectæ lineæ,ritè committendam. A D V E. Vbi ergo, dempto ſepoſitóve materialis ſpeculi miniſterio, ad arcanam & longè potiorem aſſurgimus oculi viſionem, quam imaginor comprehendi intra eiuſdem ſpeculæ limitem: tunc iure commutanda erunt exemplaria viſionū ſigna. D R Y.Commutanda profectò hæc erunt:eo quidem pacto,vt ego,qui prius rectæ lineæ veſtigiis in altrinſecæ viſionis explanatione vſus apud te ſum:iam reuolutis in curuá habenis,rectam lineam in ſpeciem circuli commutem. In quo iudicemus,non diuerſum à diuerſo,nō aliud ab alio:ſed idem ab eodem æternè conſpici & apprehendi.A D V E. Arcana igitur oculi viſio cunctis longe præcellit: vtpote quæ cunctis ab offendiculis libera, oculi pupillá, ſe intra ſe viden-

tem

tem,nec ab officii ſui actu fatigabilem, ſic intra ſe conuoluit, vt comprobet eam velut peréni & infatigabili actione pollentem fore immortalem. DRY. Nullo,quòd norim, inſigniore medio,quàm à viſione intra ſe collecta, & impedimentorum neſcia:ideoq; nuſquam fatiſcente, oſtendi ac dinoſci poteſt, ipſa ſe videntis oculi permanentia. Sed rurſum, ſi vis, quippe alto adhuc iam ſole, nec vicina veſperi die, in aliam eius rei ſimilitudinem, vtile diuerticulum hinc faciemus: quò quidem te ſcrupo omni,ac dubio liberem. ADVE. Altus adhuc ſol,longeq; ab occaſu conſiſtens, nondũ in noſtra nos redire tecta compellit. Quamobrem eam ſimilitudinem,quam promittis,ne ſilentio ſupprime. DRY. Tranſibo igitur ocyus ab oculo:quem vel in ſeipſo,vel certè in ſpeculo confingo ſuæ fore viſionis compotem, ſeruata analogiæ paritate: ad citharœdum cithara audere ſcientem. Peto igitur nunc abs te, nónne,inquã, ipſa vidẽdi facultas abdita eſt,& ſita in oculo? ADVE. Eſt. DRY. An tamen illam cenſes exerceri in oculo? ADVE. Minime. DRY. Vbinam igitur? ADVE. In ſpeculo, in quo ſita eſt oculi ſpecies: ſpeculum quippe fert oculi ſpeciem, quam non videt. Oculus verò ſuam contuetur ſpeciem, quam in ſe non habet. DRY. Dic igitur eo pacto de muſicæ artis peritia: hæc enim nequaquam ſita eſt in cithara, ſed ſublimiore in loco degit, cùm in mente lateat citharœdi. Huius tamen artis luſum citharœdus non per ſeipſum ciet, ſed forinſeco manuum adminiculo exercet: idq; non in arcana ſuæ mentis arce, ſed viſibiliter extra ſe,in organo opitulantis citharæ. ADVE. Ita prorſus hæc ſe habere iudico. DRY. Si verò aut citharam tuipſe confregeris,quippe materialem,& perfragilem: aut abſtuleris eius vſum à citharœdo:aut ſi à dilaxatione vel indiſpoſi-

tione

tione fidium ineptam imaginabere eam fieri,ad concitandam ſolitæ harmoniæ melodiam: peribítne,quæſo, vaneſcetq́; à mente citharœdi egregia ars illa,qua pollet, iucundam concitandi harmoniam? A D V E. Nequaquam. Nam materialis citharæ amiſsio,& periclitatio,nullam menti citharœdi vim infert. Nec vllius rei peritia, aut gnaritate, eam expoliat. In cuius quidem archiuo totius quæſitæ artis integritas ſalua ſupererit:luſoriam tamen muſicæ artis peritiam,concitatricem harmoniæ, & aurium oblectationi inſeruientem, forinſecus ſuſpendet:eamq́; tandiu intermitti coget, quandiu ablata citharæ commoditas citharœdum ſua ſpe fefellerit. D R Y. Haud eſt igitur iugis,nec permanens forinſeca illa actio citharœdi, ſeu concitatio ſuauis harmoniæ,in exteriore & viſibili cithara. A D V E. Quo pacto hanc auſim actionem dicere iugem,permanentéve, & immortalem: cui perinde, atque in altrinſeca oculi viſione,tot offendicula obſunt: quæ eam ſuſpendant, & intermitti iubeant? D R Y. Sine iam, & ſeorſum emitte perfunctorium materialis citharæ adminiculum:ac finge obiter,atq; imaginare artem citharizandi,quam dixiſti in occulta citharœdi mente, etiam cithara pereunte, ſupereſſe ſaluam & incolumem:arcanam intra ſe, quam oculus non videt,gerere citharã, conſubſtantialem menti:in qua quidem mens citharœdi gnara citharizandi (ſi quis ſaltem illi viſibilem citharam abſtulerit)concitet interiorem melodiam: rogo iam te,quod, qualéve de arcano iſtiuſmodi citharœdi ludo,iudicium fers? An temporarium dicere licuerit hunc interiorem eius ludum? an verò perennem, & fatigationis atq; impedimenti neſcium? A D V E. Dicerem ſecretiſsimam eiuſmodi harmoniam à pulſu inuiſibilis citharæ in arcano ſolius mentis thalamo reſonantem: lon-

ge ſupra tempus manſuram, & nec finem durationis habituram. Quippe ab omni obice, & impedimento materiæ longè liberrimam, & ideo nimirum immortalem. DRY. Hoc ergo eſt, quod prius in analogia oculi confeci. Tunc enim oculum ex mortali immortalem aſſerui: cùm ex altrinſeca viſione, plena offendiculorum, ad intraneam viſionem, impedimentorum neſciam conſcendi. Cùm etiam ſagaciſsimum materialis ſpeculi adminiculum, velut oculo parum fidele ſepoſui, ac liqui. Et eius loco me verti ad intraneum & immaterialis ſpeculi ſupplementum: quod vt longè fidelius, & ipſi oculo conſubſtantiale, intra illius ſpeculam veſtigandum cenſui. ADVE. In hàc igitur ſecunda citharœdi analogia iubes eo modo eſſe faciundum, vt ex caduca & labili harmonia pari proportione eleuari diſcá ad iugem melodiam, quam vel citharœdi mẽs, vel abdita in illius mente muſicæ artis idea: in immateriali & incorruptibili cithara conflet. DRY. Nullam crede viam dinoſcendæ præſtantiorum entium immortalitati potiorem & familiariorem fore, eo calle, quem te docui: quo à diuerſitate ſeparabilium ſubſtantiarũ diſcas eleuari, in vnius ſubſtantiæ intra ſe agentis faſtigium. In qua dum firmiſsimum, & inſolubile duorum vinculum offendes: ibi & ei vtiq; actioni (quam tantopere diſquirimus, nomine endelechiam, ideſt iugem eiuſdem entis actionem) locum des. Et ſubinde eiuſmodi ens immortale & æuiternum fore conclames. Cuius quidem ſubſtantiæ conceſſum eſt: tali actione à cunctis impedimentis libera, nec vlli fato obnoxia, intra ſua frui ac potiri viſcera. ADVE. Offundor hic rurſum tenebris, recentiq; dubietate anxius ſum, qua nimirum velut in aëra ſuſpendor. DRY. Vnde tibi recẽtis emergit dubietatis occaſio? ADVE. Ob duo præſertim. DRY. Quæ?

ADVE. Quia dixeris cumprimis, in identitate ſubſtantiæ: conſtare firmiſsimum & inſolutile duorum vinculum. Et exinde in eiuſdem ſubſtantiæ viſceribus repoſueris eam actionem, quam vocas endelechiam, velut præcipuam & vnicam in cunctis iis, quæ mortem non timent, immortalitatis cauſam. Necdum enim capio, qualiter in identitate ſubſtantiæ ſtet duorum vinculum. Et quo etiam pacto in finibus eiuſdem entis neſciis alteritatis ſit vlla actio inſerenda. Quandoquidem omnis actio, opinione ſaltem mea expleatur in munere, vti ad minus in dyade, & in extremitate quadam rerum duarum. DRY. Falleris in re exigua, ô Aduena. Non ſunt enim ſibi inuicem tam aduerſæ, aut contrariæ rationes monadis & numeri, vt ideo putes adſcribendum piaculo, aut vlli incommodo, ſi in viſceribus eiuſdem ſubſtantiæ, atq; eius aut alteritate, aut diuiſione, ſecretiſsimum inuiſibilemq; numerum abdidero: eamq; ab occaſione interioris numeri fecero capacẽ eius actionis, quam dixi endelechiam, actionum quidem omnium & motionum, vt ſecretiſsimam, ita & longe nobiliſſimam. Hæc eſt enim, cui ſoli intra immortalium entium viſcera ſe abdenti docti dudum omnes inſignem palmam dedere. Et per quam, in his entibus, quæ mori neſciunt, quibúſve fugax tempus nullam vniendi metam & periodum ponit: ii qui rerum cauſas nouere rationem totius im mortalitatis, & ſtabilis permanentiæ omen elicuiſſe probantur. ADVE. Vis ergo, vt video, numerum aliquem abdi, ac recondi debere in monade: & ineſſe illi ſecretiſsimũ aliquod cum diſcerniculum, tum vinculum, adminus duorum. DRY. Id certè volo, & fieri iubeo. Non enim alioqui, dyadem numerorum primum à monade gigni, & exoriri potuiſſe, excogitare ſufficimus: niſi hanc antea quouis mo

do meditemur præfuiſſe in monade & minimo & in omni etiam fonte,& ſcaturigine quorumlibet:dic apud mentem,ſecretius præfuiſſe, ea omnia quæcunq; ab eo manaſſe vides,& emendicaſſe ſuam originem.Quemadmodum, lineam,quæ eſt euagatio quædam,& explicatio puncti,cogitamus in puncto præfuiſſe.Et mundum pariter exortum à Deo, quouis modo in illo præextitiſſe, priuſquam in eo, quem cernimus viſibili ornatu conſiſteret. ADVE.Ergo in thoro etiam ſummæ & æternæ deitatis nihil incommodi erit inſerere endelechiam, perennémve ipſius motionem. DRY. Immo id maximopere neceſſariũ fuerit:de endelechia tamẽ ſummi Dei,vtpote æterna,& increata,quicquid loqueris in æternitate,hæc eadem de humanæ animæ iugi actione, quam dixi endelechiam, ſubſume & proſequere, tantum in æuo. ADVE. Cur in ſolius æui metro,de occulta animæ endelechia vis eſſe ſermocinandum? DRY. Quia æternitatis dignitatem non licet vlli adſcribere creaturæ: hæc enim ſoli competit autori Deo: cui quidem vni ſunt omnia in æternitatis lance tribuenda. ADVE. Aeternitas ergo ſolius eſt duratio Dei. DRY. Eſt profectò æternitas ſoli diuinæ immenſitati dedenda & coæquanda. Quæcunque enim entia ſub Deo ſunt, hæc initium quidẽ ſubſtantiæ habent.Sed eorum quibuſdam poſita eſt eſſendi meta,quibuſdam minime. Finem ſiquidem habiturum non eſt omne, & ſolum, cui conceſsit Deus, ſecretiſsimũ endelechiæ donum. Quæ verò eius muneris felicitate deſtituuntur,hæc interitura aliquando ſunt. ADVE.An eadẽ ſit cauſa immortalitatis angelorum, quæ & rationalium animarum? DRY. Eadem prorſus. Actus enim angelicus cùm ex ordine naturæ ſimplicior ſit toto homine:vtpote, qui materiæ & corporis expers eſt:ſimplicitatem quidem

habet, ſimplicitati rationalium animarum parem:adeſtq; illi præclariſsimum illud donum endelechiæ: quæ cum illum & in ſeipſum & in Deum aſsiduè congyret: non vſquam putes ob aliam certè cauſam eundem dici oportere immortalem. ADVE. Angelicum igitur actum, velut ſe in ſeipſum congyrantem, ideoq; iugiter agere potentem (& conſimilem ei oculo, quem diximus iugi ſui inſpectione, & viſione frui) cenſes fore immortalem. DRY. Iam audiſti, eadem prorſus lege, eademq; de cauſa, & pari argumento, humanam animam, & angelicum actum, velut ſacræ ambos cõpotes endelechiæ, breues temporum metas tranſilire: & appenſam à Deo in æuo fuiſſe amborum ſubſtantiam: vt pote, ſe iugi circulo in ſe colligentem, ſemperq; recentia virium incrementa ab exuberanti fonte immenſæ deitatis innouantem: ideoq; nuſquam in nihilum ituram. Hi ſunt enim beati illi actus, de quibus ſcriptum eſt in libris quarundam reuelationum: Et aſsimilaberis angelis in cælo, qui non ceſſant inhiare creatori ſuo: & contemplationis vigore reſilire, ac fundi in ſuam originem. ADVE. Cur, obſecro, non idem de humanæ totius ſubſtantiæ integritate, vt & de angelica ſubſtantia iudicium fers. DRY. Quatenus & quorſum id rogas? ADVE. Vt ſciam, inquam, cur in humana ſubſtantia cõnubialem animæ corporiſq; nodum facis immortalem. Sicuti & nunc angelicam totam ſubſtantiam, quia iugi contemplationis vigore in ſua initia redeuntem dixiſti, fore mortis ignaram, & extremæ diei neſciam. DRY. Quia in diſsimilitudine ſubſtantiæ nec ſedet egregia dos endelechiæ: nec figitur in ea firmum & inſolutibile vinculum duorum. Atqui hominis totius globus aggeſtio quædam eſt, & fragile coniugium corporis & animæ, quæ ſunt diſsimilium ſubſtantiarum, quorum

quidem nodum noſti non eſſe ſtabilem, nec à mortis manu ſupremæ'ue horæ fato liberum. Secus eſt de angelico actu: in quo quanquam diſcerniculum duorum, in quibus exercetur eius endelechia, non deeſt, diſsimilitudo tamen ſubſtantiæ ibi prorſus abeſt, quæ illi interitum comminetur, ſupremamq́; diem deſtinet. ADVE. Vbinā igitur, & in quo hominis thalamo abdis endelechiā, ſi in citima totius hominis ſubſtantia nolis illi ſedem dari oportere? DRY. Nequaquam inter animā & corpus eam abdiderim: ſed in ſecretiore, & inuio animæ ſinu, in quo iam locaui actionem animæ perennē. Amoueo enim ab ſimplicitate endelechiæ ſuperfluam corporis appendicem: vt pote caducam, fragilem, mortalem: nec ipſi animæ pro organi vice iugiter adſtare valentem: quemadmodum prius feci, cùm ab oculo, quem finxi ſe ſemper videntem, amoui auxiliarem materialis ſpeculi glaciem: quippe caducam, fragilem, nec perenni oculi viſioni ſatis fidelem. ADVE. Dicendum igitur erit de corpore in endelechia animæ, ſicut dictum eſt de ſpeculo in iugi viſione: deq́; cithara erga citharœdum iugem harmoniam cōcitare volentē. DRY. Par prorſus in vtriſq; analogia, exigit id fieri. Habet enim in ſinu ſuo, ſuum anima inteſtinum numerum, ac diſcerniculum: Habet & in ſe ſublime organum, vt corpore ſecretius, ita & longè eo fidelius: quod cùm ſe abiungi ab illa non patiatur: iuſtum eſt, vt in eo fidat anima, locetq́; ibi ſuæ poſt obitum totius permanentiæ ſpem, & fidem ſecretiſsimiæ endelechiæ ſedem, per quam ſe palam profiteatur fore immortalem. ADVE. Pollet igitur in ſe anima ignoto quopiam organo, quod vocas fidele & arcanum: in quo illa ſuapte fungatur endelechia, quam interpolare queat prorſus nihil. DRY. Id iam ſatis præmiſi. Alioqui

priuaretur fructu endelechiæ, quam in iis officiis, quibus anima corporis curam & prouidétiam gerit, locare debet nemo. ADVE. Quamobrem? DRY. Quia corpore per mortem in cineres reſoluto, pereuntibusq; vnà corporis organis, ceſſent mox, & interpolétur vniuerſæ hæ actiones, quibus anima variis ſenſuum oſtiis, ac feneſtris pluribus extra ſe fit, labiturq; ab arce ſua, dum vultum deorſum inflectés in ſubiectam proſpicit corporis appendicem. ADVE. In his itaque actionibus, quibus anima & vitam & ſenſum corpori impartitur, dedecet vllam ſiſtere endelechiam. DRY. dedecet prorſus: nam morte corpus ab animæ coniugio ſeparante, nónne mox priſca corporeæ ſenſationis & vitæ officia ceſſare operæpretium eſt? Cum tamen ſuperſit in inuiolabili animæ ſinu ſaluum ac perlucidum doctæ meditationis officium: in cuius quidem vnius opulentia præſignem endelechiæ dotem reponendam fore toties expreſsi. ADVE. Ergo per endelechiæ dignitatem anima nuſquam extra ſe fit. DRY. Nuſquam. Sed nec eatenus in vrnà corporis, neque in ipſo mundi ambitu agit quicquam: verùm ſuam in ſeipſam retorquens aciem, ibi ſecura ſuæ ſapientiæ caſtra figit: vbi mortis & diuiſionis ſuæ vim nihil expaueſcit. Ac niſi etiam ſubuererer, ſole iam labente in occaſum, prolixiore ſermone tibi forte incutere aut faſtidium, aut ſomnum, ocularem quidem figuram hic tibi conſcriberem, qua profectò agnoſceres rem ſcitu dignam. ADVE. Quam? DRY. E cunctis ſcilicet rerum artibus, quos ſub cœlo locauit Deus, vnicam hominis animam, velut rationis & intelligentiæ participem, occulta ſui congyratione dignum intra ſe implere circulum: in cuius ſolius ambitu locanda ſit illius endelechia. ADVE. Age, quæſo, ocyus eam, quam

pollic

polliceris, conſcribe figuram: ſol enim nondum in occaſum decliuis ſatis horarum, nobis ei negotio inhærétibus indulgebit. D R Y. Meminiſtíne, me ſub ferè initio collocutionis iſtius noſtræ diſtinxiſſe tibi quatuor ſubſtantiales actus: eſſendi, viuendi, ſentiendi, & intelligendi: qui eorum omnium, quæ ſub cælo ſunt, bigeminos conficiunt gradus? A D. V E. Memini vtiq;: ſed quid iam de his expedit iterum ſemel emiſſum reſumere ſermonem? D R Y. Quia in his conficiam eá tibi, quá volo figurá. Scribo enim iá, vt breuior ſim, vnicam duntaxat circuli portionem, ſeu quadrantem.




A, B: Hanc quidem, peto cui putas ſubſtantiali actui tribui debere? A D V E. Reor hanc ſimpliciſsimo & abiectiſsimo actui eſſendi fore tribuendam: & eorum identidem entium gradui, quæ aliud nihil in ſe habent, præter ſimplicitatem ſubſtátiæ. qua ſolum ſunt, & qua inter communitatem entium degunt. D R Y. Hic gradus eſt ſimpliciſsimorum huius mundi entium: vti lapidum, & metallorú: quæ ſicut in occultis terræ viſceribus naſcuntur, ita ſe planè gerunt velut præſtantiorú entium fundaméta. A D V E. Solidiſsima etenim ſunt hæc, maximeq́; duriciei: quæ nimirum velut quaſdam præſtantiorum entiú hypoſtaſes, ſicut Deus præ cæteris procreauit, ita ea quoq; ſuſtinédis aliorú motionibus, in imo mundi fundamento ſubmiſit. D R Y. Sctibo ſubinde mediá circuli portionem, A, B, C: qua innui velim, tam ſecundum actum, qui



eſt viuendi, quàm ſecundum entium gradum, ideſt vegetabiliú. A D V E. Gradus hic, ni fallor, in ſua ſpecie tripartitus eſt: nempe herbarum, fruticum, & arborum. D R Y. Eſt, vt vis, gradus ille aliquo pacto æmulus ternariæ dignitatis:


tatis:

tatis: nempe in triplici entium genere conſiſtens. Scribo deinde tertio loco, & circino quidem vno, tres eiuſdem circuli portiones, ſeu quadrantes, A, B, C, D:



quibus tertium ſubſtantialem actum; ideſt ſenſum, eiuſq; gradum pingo. A D V E. Gradus iſte, quem tres eiuſmodi portiones conflarunt, nónne animalium ſenſus participũ generi reſpondebit? D R Y. Erit haud dubiè tertius hic gradus generi animalium par. Sicut enim metalla & lapides ob ſimpliciſsimæ participationem eſſentiæ duntaxat ſunt: ita & arbores ſunt equidem, & viuunt. Animalia verò ſunt, viuunt, & ſentiunt. Sed iam hic ſubſiſte parumper, priuſquam & humanum, qui ſupereſt, actum: & hominum exinde gradum pingam. Percontabor verò interim abs te: Actus eſſendi, quem ſolo circuli quadrante ſignaui, ſuúmne explet circulum, quò redeat in ſuam originem, quóve copulet initio finem? A D V E. Nequaquam, vt eius ad oculum figura docet, hunc in ſeipſum redire iudico. Nec enim explet circuli totius ſui gyrum. D R Y. Quo id indicio noſti? A D V E. Quia tres quidem portiones & arcuum quadrantes ad circuli totius integritatem palam ei deſunt, tribuſq; partibus vacuum eſt, ac dehiſcẽs illius interuallum. D R Y. Longiſsimè enim vt cernis, diſtat illius finis ab ſuo initio: quantum inquam punctum B, ſummouetur à puncto A. Sed iam de actu vitæ reſponde an hic in ſuum redeat fontem, ſuamq; expleat vertiginem? A D V E. Eadem in iſto, vt & in priore, militat ratio. Duo enim quadrantes, illius medio arcui, citra totius complementum deſunt: quibus dehiſcens, ac vacuus vitæ actus, in ſe redire, ſeq; apprehendere, & fine frui ſuo præpeditur. D R Y. Actus ſentiendi, quem tertio arcu, A, B, C, D, pinxi,

dic quæſo, redítne etiam hic in ſeipſum, copulatq́; initio & origini ſuæ finem? ADVE. Nondum & hunc in ſeipſum redire conſpicio, quanquam minore prioribus dehiſcat ſpatio: vtpote qui duntaxat vno circuli quadrante vacuus ſit, & à circuli totius integritate nō ampliore, quàm vnius portionis defectu minor. cæterisq́; ideo inferioribus actibus hactenus præſtantior. DRY. Iam nunc expleo totius figuram & integritatem circuli quatuor portionibus A, B, C, D, A. per quā & actū & gradū hominis pingi velim.



ADVE. Cur in hac deſcriptione bis deſumis punctum A, quod & vltimum nominas, & primum. DRY. Vt eo pacto iudicem vnicum hominis actum & ſui explere circuli gyrū, & peracto eo redire in ſeipſum, nihilq́; prorſus illi deeſſe ad integrum ſui complementū. ADVE. Ergo actus hic, aliquo pacto, & quaternario & quinario explebitur numero. DRY. Ritè id infers: Quaternario quidem diuiſibilium portionū & arcuum, Quinario autem, ſeu penthade ſimplicium & indiuiſibilium punctorum. Nam abſq; punctorum penthade intelligentia noſtra nuſquam apprehendere ſufficit, quo pacto quicquam in ſuum redeat initium: niſi idem punctum, vt A, bis ore vno ſit expreſſum: quòd & principii, & finis vice fungatur. ADVE. Quid ſi conflauero ex his integritatem circuli comprehendi, in quadam enneade, vtpote quam numeri duo quatuor & quinq; gignunt. DRY. Non abs re id ſubintuleris. Et nec ſine cauſa, percelebrem Platonicam enneadem, velut præclaris ac dignis refertam myſteriis, reuocare in memoriam licuerit. In eius enim quadratura Platonem philoſophorum apicem vixiſſe: & in eius quoq; funebri exitu à Parcis è medio ſublatum fuiſſe referunt

hyſtor

hiſtoriæ. Sed hæc,quia à præſente negotio pluſculum abſint,& minus ei proſint, ideo ad præſens omittam : vt de præcellenti humanæ animæ endelechia cœptum ſuo fini ſermonem celerius adiungam.Rogo verò nunc te,in quonam totius eiuſce circuli arcu, quo hominis obiter actum pinxi , putas locandam eſſe præclaram hominis endelechiam? A D V E. Superiorum iam actuum manifeſto edoctus exemplo dicere audebo , hanc vtiq; nequaquam in primo conſiſtere arcu A, B:neq; item in ſecundo arcu B,C: nec deniq; in tertio C , D : Sed tantum in poſtremo arcu D, A : eam eſſe iure reponendam. D R Y. Ediſſere parumper eius rei cauſam. A D V E. Quia in hoc ſolo arcu : perpendo & video : animam ſuum explere circulum , redireq; in ſeipſam,& copulare initio finé.D R Y. Quid in primo arcu A, B, cenſes animæ hominis condonandú?A D V E. Nil video aliud , illi fore tribuendum : præter ipſum eſſe ſimplex : conſimile lapidibus , ac generibus metallorum. D R Y. Quid in ſecundo arcu B, C,exercet hominis anima? A D V E. Vitalem,vt coniecto,inſtar arborum exercet actionem. Quia cum ſit dimidio arcu inanis & vacua,ideo in ſe per eiuſmodi arcum non ſit reciproca. D R Y. In tertio arcu C, D; quid putas , anima agit? A D V E. In citimis ſenſuum hactenus organis ludit, quibus corporeæ appendici commixta etiam per prominentes corporis feneſtellas exterioris mundi faciem exoſculatur:eiq; congreditur.D R Y. Cur in hoc tertio arcu nondum auſis figere , & ſtabilire, ipſam animæ endelechiam? A D V E. Quia, vt edoctus abs te iam fui,in hoc arcu vacua adhuc anima eſt:quippe quæ vnius ſpatio quadrantis dehiſcens, nondum redit in ſeipſam,nec ſuum attingit finem,nec demum actionem obtinet in eo iugem,ac ſtabilem.D R Y.Plurimis inſuper hactenus

nus impedimentis obnoxia ibi eſt anima,quæ illius actionem interpolent, ſeparentq́; eam tam à ſui corporis exercitio, quàm etiam à iucundo mundi aſpectu: in quo quidem per corporis euectionem temporariam obtinet manſionem. Sed nunc, cùm hominis anima inferiorum omnium animarum conglomeret in ſe vires, & nullam non exercere queat actionem:expende ſingillatim, quid in ſingulis totius eius circuli arcubus anima agat. quídve præcipuæ actionis ipſa moliatur. ADVE.Diuerſis ibi & variis actibus, anima pollet: quibus quidem vel in corporis orbem exit, vel in ſuapte ipſius aluo ſecum ipſa colludit. In primo enim arcu A, B, dic animam ſubſiſtere,& eſſe:in ſecundo arcu B, C, eam dic viuere: in tertio C, D, hæc adiacentia ſenſuum organa mouet:in quarto deniq; arcu D, A. Hæc receptui ab omni corporis actu canés,& in propriorum larium adyta reſiliens, ſuam ciet intelligentiam, per quam meditatione potitur aſsidua.In officio quippe meditationis,quæ fatigationé,ſeu ſui interpolationé neſciat, diximus omnem animæ ſapientiam, necnon & contemplationis dignitatem, & ſupereminentem endelechiæ dotem vnicam totius immortalitatis cauſam, fore reponendam.



DRY. In his profectò bigeminis rerum gradibus dignũ iſtud ammiratione ſe offert,quo ſcilicet pacto ſenſim hominis anima, cumprimis à gradu immobilium lapidum, exinde à ſtatu arborum, tertio ab ordine animalium velut aſsiduè adoleſcens, & ad maiora pedetentim ſcandens, eouſq; proficit, vt tandem euehatur vſq; in hominem. Hæc enim poſteaquam in ſtatum hominis

minis euecta eſt, ſuumq́;, vt ita dicam, catorthoma, id eſt opus perfectum & virtute conſummatum adepta : nulli deinceps inhiat rei alii, quàm vt arcanæ endelechiæ fruitione ſibiipſi in ſuæ ſedis intimitate aggratuletur. Quòd ſi in vna complecti vis figura omnes quos ſingillatim confeci arcus, & portiones circulorum: conflabis ex his eorum omnium, quæ ſunt ſub cœlis, aggregatam quandá effigié: dabisq́; homini ſoli interioré circulú: quo coniúctus vndecunq; ſibiipſi homo, nil in ſe vacui linquat: nulláve ſui portione dehiſcat: nihilq́; deinceps, poſt inclytá ſapiétiæ doté, & iucundum immortalitatis munus, adſequi concupiſcat.



ADVE. Nunquid & aliis id pingi, & exprimi queat figuris? DRY. Immo innumeris id licet. Sed. iuſta cohibendus eſt parſimonia earum modus, quippe in immenſum excurrens. Potes enim, ſi lubet, efficere id idem, ſicut & antiqui feciſſe memorantur, ſcilicet per ſerpentem, ſuam

mordicus caudam prehenſantem : qua quidem effigie veteres arcanam hominis in ſe redeuntis endelechiam, velut apto & idoneo ſigno confinxerunt. Et pro ſuarum domorum foribus id pingi iuſſerunt. Potes & id rurſum pedetentim efficere per lineam, per angulum, per triangulum, & per quadratum. ADVE. Qualiter per hæc id fiet? DRY. Id quidem facile factu eſt, ſi actui eſſendi ſimplicem dederis lineam : ſi actum vitæ pinxeris angulo : ſi ſenſum expreſſeris à ſpecie trianguli : ſi ſupremam demum intelligentiam pinxeris lineis quatuor conficientibus quadratum. ADVE. Nimirum mathematicarum diſciplinarum genera temere, & inſigni diuinarum aſſurrectionum iactura quidam vtilium iſtiuſmodi adminiculorum imperiti, habent neglectui : quæ tamen (vt præſenti periculo & experimento abunde agnoſco) ingens menti, ad altiora aſſurgere volenti, afferunt emolumentum. Plurimisq; nos viſibilium ſignorum adminiculis, ad celſiorum theoriarum apices manuducunt. DRY. Accidit mathematicis diſciplinis noſtro æuo, ab ignaua quorundam imperitia, id quod interdum in lautioribus ſympoſiis patrat ſtolidorum quorundam inaduertentia : qui poſteaquam ſemeſa, nudataque carnibus oſſa arrodere faſtidiunt : ignari ſuauiſsimam in eorum tubullis latere medullam, protinus ea canibus abiiciunt. Sic in prædulcibus, & apprime ſucculentis mathematicorum axiomatum oſsibus, errant nunc inertes plurimi : qui ea, vili & ſpretui habere non verentur: quia cùm ſupra exile oculorum iudicium, ſapiant prorſus nihil: ideo occultiores theorias, & arcana ſubtiliorum rerum ſenſa aut rimari non ſufficiunt, aut ſcrutari ea nolunt : nec vlli habent iacturæ internum mentis palatum dulcedini la-

tentis

tentis medullæ non admouere. A D V E. Merito ob id, dolens quidam carmine, quanquam rudi & agreſti, talium virorum ignorantiam taxauit, cùm dixit,

Ignorantia quantorum eſt ſentina malorum!

D R Y. Parcendum carminis ruditati, modo id ſit vtile, & conſentaneum veritati. Nam per ſegnem eiuſmodi ignorantiæ occaſionem plurima tempore obſorduerunt, quæ tamen ſint haud aſpernanda, ſed haberi in precio digna. Cæterùm, vt etiam finem dicendi facturus, leui carmine, obiter tibi colludam:

Eſt opus hinc feſſas aliò voluamus habenas.

Sol enim iam lapſus ſub horizonta, & ad Antichthonas decliuis, inſtar militum caſtra ſoluentium ſarcinulas recolligi, & vaſa iſtic conclamari iubet. Vis ergo maturè labia ſilentio promam, ſupremumq; vale tibi dicam. A D V E. Iam ſufficiens, & exuberans tui eloquii imber refrigerium mihi dedit. Eam etenim ſitim, qua ab initio elangueram: idq; deſiderii, quo erga laudatiſsimam animæ ſcientiam, nimio igne deferbueram, ſuapte aſpergine prorſus ſedauit, & extinxit. Opportunè iam cùm voles hinc anchoram ſolue, noſtroq; huic literario ludo finem pone. D R Y. Cùm voles, literariæ iſtius paleſtræ præſto nobis aderit finis. Reſume tamen parumper, priuſquam hinc abſcedamus, id enthymema, quod tibi ab initio præmiſi, quo quidem non modò protegi ipſe debeas, ac deffendi aduerſum eos, qui de animæ immortalitate anxii, ac dubii ſunt: quiq; ad inflectendam illius fidei ceruicem in ignorantiæ biuio non minus inhoneſtè, quàm cum periculo ſalutis titubant. Et quod quoq; maius eſt: quo etiam te velut iam ſapientem, & de exoptata animi immortalitate certiorem, deceat imperitiorum errori

ſaluberrimam adhibere medelam. ADVE. Cur nunc id à me reſumi,& iterari iubes? DRY. Vt experiar, ne fortaſſe eius memoriam tibi excuſſerit prolixior noſter ſermo. ADVE. Prolixior noſtri ſermonis ſeries nuſquá mihi confecti abs te enthymematis obliuionem incuſsit, quin id mihi adhuc ſit præſto, ſtetq; proforibus labiorum. Ita enim tum ſubintuliſti: Hominis, inquá, anima particeps eſt endelechiæ, polletq; in ſua aliuo iugi & perenni actione. Ergo & illam iudico fore immortalem, & in æuú venturæ beatitudinis ituram. DRY. Fida nimis, ac tenaciſsima doces te pollere memoria: quæ id enthymema, quod ſemel ex ore meo illapſum tuis auribus inſonuit, nullius obliuionis tenebris obfuſcari, & erodi permiſit. ADVE. Nullúmne noſti hoc vno enthymemate validius, aut certius diſquiri poſſe argumentum, quo conflet quis ſtatum animæ perennem? DRY. Nullum, quod norim. Nullam quippe noui illuſtriorem animi gemmá præ dote inuiſibilis endelechiæ: qua inſignis Dei ſapientia hominis animam præ cunctis excoluit, & mirificè adornauit: vt per eam, velut infatigabilem, & aſsiduè ſe mouentem, liceat animam tam inſigni & iugi actione pollentem, aſſeuerare, & comprobare immortalem. ADVE. Non mediocrium ſum tibi gratiarum obnoxius. Immò verò omnia tibi mea iure debentur: qui cùm iſtuc animo ieiunus, eſuriénſve, & alto cordis ſcrupo languens acceſſerim, iam incolumis, & vtriuſq; liberatus inhærentis morbi lue hinc abſceſſurus ſim. Non igitur iniuria dicere poſſum cum Iacob patriarcha: In baculo inquam meo tranſiui Iordanem iſtum, & nunc cum duabus turmis regredior. Sic ego quidem à longinqua nominis tui fama auſpicato illectus, impigrè egi: qui mox ad tua limina, vt eram animo inops, menteq; ſingultiens acceſsi:
quem

quem fœcũda tuæ doctrinæ opulentia lautè excepit, abundeq́; ditauit: & omni animi anxietate liberauit. DRY. In prouerbio vulgi eſt, doctrinã interim plus prodeſſe, quàm medicinam: quanto quidẽ inteſtinus animi languor qualicunq; corporis morbo ſit exitialior. Hæc enim forinſecus adhibetur, & excutiendæ ſoli corporis ægrimoniæ conſulit, & vſu venit: illa autem animo prodeſt languido, & valitudinario. Atqui animo ſuæipſius dignitatis incõſcio, ac ideo male ſe intrinſecus habente: quĩ fiet, vt obſequioſa corporis appendix ſe habeat omnino bene, & ſit incolumis? ADVE. Huius quidem prouerbii veritatem magiſtra rerum experientia me nunc confiteri perurget. Nam cùm iam de totius hominis commiſſura nunc mecum res bene ac feliciter agatur: priuſquam hinc abeam, in extemporanei carminis modulamen pro impendenda tibi gratiarũ actione iucundus me Muſarum amor illexit. Audi igitur vt vale dicam me gratificatoria tibi lyra canentem.

Dialogi de Animæ immortalitate Finis. Editi Nouioduni Anno domini Milleſimo Quingenteſimo Trigeſimo, Ter ſeptima die Septembris.

EPIGRAMMA, IN ANIMAE *immortalitatem.*

Res bene mecum agitur: cæco ad tua limina veni
Corde: ſed, vt video, doctus abibo demum.
Quàm felix nimis eſt hæc ignorantia, lumen
Quæ petit! errorem non alet illa diu.
Cæcus eram, ad lumen veni, lumenq́ recepi:
Languebam; acceſſi huc ocyus ad medicum.
Quàm male tunc valui, quantis mea corda venenis


Imbuerant tenebræ mortis, & atra lues.
Sæpe ego iumento maiorem me eſſe negaui,
Cùm ſimilem fumo credidi habere animam.
Dicebam: Nunc ſum, cras non ero: quæ mihi ſpes eſt
Vitæ? ob virtutem vt quid nimis excrucior?
Viuam ſicut equus, ſicut quoq; mulus: inertem
Mandens atq; bibens ipſe colam genium.
Poſt obitum de me quid erit? pars nulla ſuperſtes
Ex me erit: vt corpus ſic erit atq; animus.
Surge, voluptatem cole. Cras moriere, miſelle.
Corpus erit puluis, mens tua fumus erit.
Mande, bibe, & dormi: Caue maior ſpes tibi nulla eſt:
Id ſatis eſt, ventrem ſi colis, & Venerem
Incaſſum curis, cruciaris inanibus: & te
Commaceras: lætus ſed mage viue, & oua.
Extas nempe hodie: cras non eris. Ergo nec aut ſpes
A virtute tibi eſt, aut timor à vitijs.
Nam tibi viuenti bene præmia nulla dabuntur.
Nec male ſi temet geſſeris acta lues.
Nec paradiſus erit tibi, nec furialis erymnis:
Sed nec ſupplicium, nec requies operum.
Hic mihi ſenſus erat prius, hæc dementia inhæſit
Cordibus ante meis, qua modo liber eo.
O benè quàm factum eſt! infeliciſſimus error
Sit procul: hinc abijt nox, redeunte die.
Ergo ô doctrinæ ſpeculum, verumq; columen,
Iam tua lætus ouans limina linquo, Vale.

De morte non metuenda, carmen.

Mors olim nimis extimui tua prælia: ſed nunc
Sunt aduerſum te pharmaca multa mihi
Te modò nil timeo: tua quid mihi tela nocebunt?

Eſto necent corpus, non fodient animum.
Tu me hominem fodies, ſoluens à corpore mentem:
Sed quid id eſt? patiar mente animoq; nihil.
Si tibi vis maior nulla eſt, quàm corporis artus
Soluere: te merito negligo, nec metuo.
Dic, quis hic eſt, qui te timeat, niſi beſtia? & is cui
Mens tenebroſa, ſui nil meminiſſe queat?
Sunt fateor geminæ vires tibi: totus homo vna
Soluitur: at reliqua corporis arca perit.
Exuar enſe tuo feriente cadauere carnis:
Et priuata animo mox caro puluis erit.
Morbo hominem perimis: verme & putredine corpus
Deſtruis: hæc duo ſunt, quæ potes, haud aliud.
Tanta ego confiteor, nec plura operaberis in me:
Integra & incolumi mente ſuperſtes ero.
Non ſoluent tua tela animum: nam firmior omni
Materia nexu eſt, nec cadet in nihilum.
Emigrare iubes animam: qua abſente reſoluis
In tenues atomos illius hoſpitium.
Hæc duo tela igitur nihil ad me: nec metuam te:
Viribus eſt animus maior vtriſq; tuis.
Corporis vrna Deo tandem inſtaurante reſurget,
Et ſimul exurget totius arca hominis.
Totius arca hominis, qualis fuit antè, reſurget.
Parte in vtraq; ſui, reſtituente Deo.
Quicquid ego ante fui, rurſum hoc ero, cuncta reſumam,
Quæq; habui: ſpes hæc corde repoſta meo eſt.
Pende tuas vires, quid agent, mors rem niſi inanem:
Friuolus en gladius ſtabit vterq; tuus.
Ergo Deo immenſas grates ago: qui mihi vitam,
Quam nequeat triſtis ſoluere Parca, dedit.

FINIS.



Me, peregrine, uides animam, quam Parca ſolutam
Corpore non ideo perdidit in nihilum.
Polleo nam geminis uirtutibus : una agit in ſe,
At reliqua in cunctis indiga corporis eſt.
Per uim præcipuam probor immortalis : ut in me
Corporis abſque manu ſemper agens aliquid,
Sed ſurrecturam dic me uirtute ſecunda:
Cui, ne obtorpeſcat, reſtituenda caro.
Nam caro, quæ puluis, neruos, cutem, & oſſa reſumet,
Et ſtabili illius ſiſtar in hoſpitio.

DE RESVR-RECTIONE

❦

LIBER AD LECTOREM.

Quid doceam, Lector: quid mentibus ipſe propinem:
Ad calcem cùm me legeris, ipſe ſcies.
Ne timeas obolo tenui euacuare crumenam,
Exiguus nuſquam ſumptus inanis erit.
Pro tenui impenſa mea lectio multa refundet:
Ergo me nummis, nil tibi parcus, eme.
Ipſe diu colui autoris ſuggrundia: dedor
Publica propter te in compita, ſubq́ dio.
Si propter te igitur fio communis ad omnes,
De torrente meo labra, animumq́ riges.
Te ſiquidem ſurrecturum poſt fata, docebo:
Et quia mors poſthac nulla futura tibi.
Digna equidem ſcitu ſunt plurima: ſed tamen vnum id,
Quod pando, & doceo, ſcire nihil melius.

Figura, quæ geminas rationalium animarum vires, earumq́ proprietates, & actus apte diſtinguit.

*

Primæ & potiſſimæ rationalium animarum vires, nunquam ſuum actum intermittentes.



Secundæ rationalium animarum vires, corporis abiunctione ſuos actus interpolantes.

CAROL

CAROLI BOVILLI SAMAROBRINI PRIMVS DE RESVRRECTIONE DIALOGVS.

Interlocutoribus Phariſæo, Sadducæo, & Philoſopho.

ARGVMENTVM.

ABSOLVERAM die quadam, ſuccinctum de Animæ immortalitate dialogum: in quo inter Dryidam, ſapientem Gallum, & Aduenam, vndecúq; peregrinũ, occioſo alioqui calamo, domi mecum diebus aliquot colluſeram. Miſi in eo recte in dexteram nauigii: nec operam fefelli, qui pinguem deſideratorum piſcium piſcaturam feci. Et quanquam non illico, multos in meam ſagenam connexerim, attamen vnum perquam inſigné comprehendi: qualem quidem Petrus, domino iubente, & piſcationi eius adſtipulante, è mari hauſit. Talem vtiq; piſcem leui hamo apprehendi, in cuius aperto ore inueni quæſitum, ac diu deſideratum argenti ſtaterem, quem exactori didrachmá poſtulanti, id eſt amico me ad iſtud operis inſtiganti exoluerem. Inueni enim tandem diſquiſitum diu humanæ mentis endelechiſmum: qui mihi id

argumenti.id've perlucide rationis contexuit, quæ nullam rationali animæ ſupremam numeraret poneretq; dié. Immò verò quæ nos certiores efficeret, hominis animam, velut mundo prædominantem, & (quod multo inſignius) ſummi quoque Dei effigie felicem, à fato Parcarum eximendam: ideſt à pauore & formidine mortis fore liberam & prorſus immunem. Eo igitur perfecto opere, cogitanti rurſum mihi, cui demũ literario ludo incumberẽ: quid've noui (vt indies conſueui) operis molirer: ne inanes ac vacuas à me diei horas elabi ſinerem. Adfuit mox vicina ac pruriens occaſio, vt de etiam futura hominis reſurrectione parem dialogum conſcriberem. Nam quia corporis inſtaurationem, & rediuiuam illius cum anima vnionem (quæ eſt expectata hominis reſurrectio) liquet annexam & alligatam fore animæ immortalitati; & hanc inſuper eſſe primogeniam & innatam hominis dotem: illam verò, vt paulo magis exoticam, & peregrinam, ita ſanè plus dubiã, & ſubobſcurioris fidei: hinc de vtriuſq; dotis beneficio dicere, vnicam prorſus me impenſurum ſitientibus ingeniis operam indicaui. Et quanquam dudum compluſculi in præclara animæ Scientia multifariam oberraſſe traduntur: qui aut inficias iere, aut nulla ratione, ſibiipſis perſuadere valuerunt, hominis animam cæteris eſſe permanentiorem: nempe immortalem, & ſupremæ neſciã diei. Attamen longe ſanè amplior & exitialior increbruit peſtilens error plurimorum, & quidem ſecundum homines, ſapientum: qui in ipſa prorſus admiranda & penè incredibili corporum inſtauratione: & ſubinde in diuinitus promiſſo & expectato venturæ reſurrectionis beneficio, ſiniſtra, ac deuia ánimi aurigatione erraſſe memorantur. Cauſa quidẽ erroris illis fuit, quòd cùm in futura immortalium

talium animarum beatitudine fragilem corporis vrnam potius officere, & obeſſe rerentur, quàm vllum animabus in portum felicitatis euectis, præſtare præteritæ peregrinationis obſequium. Hinc ſiniſtra illis conflata eſt opinio, quæ aut nunquam, aut fruſtra ſarciendam à Deo ſemel ſolutam animarum & corporum vnionem, illiſipſis facilè perſuaſit. Quapropter nec irritus, nec ſuæ mercedis indignus, noſter erit labor: qui vt huic animarum vlceri medeatur, chartas leui calami ligone ſulcabit. Et quia introducendæ ſunt in hunc literarum ludum perſonæ ad minus duæ, quas inter in mutuæ collocutionis viciſsitudine conueniat, quid ſit tandem de promiſſa diuinitus corporum reſurrectione ſentiendũ: has obiter emutuabimus ab antiquiſsima gente Hebræorum. In ea ſiquidem didicimus, non mediocres quondam emicuiſſe lites, iurgia, & controuerſias Phariſæorum & Sadducæorũ. Illorum quidem, qui mortuorum reſurrectioni feſtiuiter applauderẽt: eamq́; & corde crederent, & ore confiterentur. Iſtorum verò, qui prorſus eam à ſe exploderent, & corpora nuſquam rediuiua fore admitterent. Poſt verò leuia horum præludia tertiam rurſum ſub philoſophi nomine perſonam ſummittemus, quæ excogitato qualicũq; philoſophicæ rationis medio: id illis myſterii conficiat, quod ipſi, ex legis ſuæ teſtimonio, & ex patrum ſuorum vel prophetarum autoritate, ſicut cumprimis, auretenus audierunt, ita & corde crediderunt. Tandem vbi philoſophus Phariſæo & Sadducæo exoptatam venturæ reſurrectionis rationem dignè exoluerit: veſpertino ingruente diluculo, ſinguli ſingulis valedicent, & velut votorum ſuorum, ac deſideriorum compotes, in ſua tecta hilares abſcedent.

A Phariſæo: collocutionis exordium.

PHARISAEVS.

CONSPICOR ante ianuam, prætereuntem virum, è gente quidem, vt habitus indicio eſt, noſtra. Atque è pacto, ac fœdere legitimæ circunciſionis, qua Deus electum ab initio Abraæ ſemen à circumuicinis gentiũ nationibus viſibili carnis ſigno, olim ſecerni voluit. Egrediar ocyus foras, & iuxta beneuolum fratrum morem ſalute illi impertita, ſciſcitabor ex eo, quid cauſæ huc illum egerit: unde quoq; veniat: & quo equidem loci tam lento paſſu gradiens, inambulet: & præſertim, quid mœſtitudinis illum intus excruciet. Vt qui mihi corde non admodum hilari, ſed ſubmœſtiore vultu, rugataq; frontis cuticula promineat. Sicut enim, iuxta eloquium, In vultu ſapientis, lucet ſapientia: ita & facies viri, quouis caſu conflictati, lurida mœroris ac triſtitiæ ſigna demiſsis ſubciliciis oſtendit. Adoriar igitur his verbis illum. Saluus ſis ô bone vir, Abraæ mecum fili. SADDVCAEVS. Et tu quidem reciproca ſalute, ſalueris, ô etiam Abraæ inclyta progenies, diuinarumq; mecum promiſsionũ & benedictionum cohæres. PHAR. Vnde quæſo, & quo loci, iſtac inſuetum tibi iter? SADD. E ſynagoga maiorum venio: eoq; proficiſcor, vt in prouerbio eſt,

Quo fortuna vocat: vel, quo me incerta voluntas
Protrahit, & mœrens pectoris anxietas.

PHAR. Mœſti quidem viri publicum affers ſignum: & indicium pectoris, aut certe ſecum male habentis, aut interiore aliqua nube, ac perturbatione obfuſcati, prorſuſq; ab animi ſui arce collapſi. Non alia, quæſo, de cauſa vſquam

quam pergis, quàm vel illiciente anxio ſiniſtræ alicuius fortunæ ſtimulo: vel ab incerta vagæ & incompoſitæ voluntatis alea. Proinde tui etiam vultus pallor: lurida indubitatæ mœſtitudinis ſigna, in oculis ſaltem meis, præ ſe fert. SADD. Et ſi quidem ſubmœſtiore animo ſum, Ludam tamen obiter hoc perfunctorio carmine tecum.

Nimirum color in facie qui prominet, index
Eſt animi, ſecum non bene compoſiti.

PHAR. Rite iſtud tibi carmen alludit, tuoq; colore te pingit. Quæcunq; enim in occulto cordis ſinu latent, hæc illico in fronte parent: in oculis quoq;, necnon in geſtu faciei forinſecus pellucent. SADD. Et quidem, vt ritè prior iudicaſti, haud ſat bene, mei compos animi ſum: nec omnino, vt alioqui conſueui, læto & hilari cilicio. PHAR. Dic igitur quænam in tuo ventre ſedet cauſa mœſtitiæ. Et ne à me (ſi vel medicum me ægro, vel certe choraulam mœrenti ſpopondero) non innoxium vulnus diutius abſconde. Operam enim meam iám vltro omnem tibi polliceor: vt à te, tua lancinantem præcordia, ſpinam iſtius mœſtitudinis euellam: omnemq; ex teipſo cauſam mœroris diſcutiam. SADD. Spinæ, & ſentes, prætereuntibus publica via ouibus infeſtæ, floccos lanæ à vellere earum laniant. Nihilo tamen ſecius oues illæſa cute, cum aliquanta ſuorum vellerum iactura, prætereunt incolumes. Mihi verò iſtac iter facienti ſecus accidit. Altius enim cute, ac tenui vellere, ab inteſtino animi vlcere dilancinor. Profundior enim longè eſt, quàm credas, conceptæ mœſtitudinis occaſio: quæ frontis cuticulam, alioqui nitentem, mihi ſenilibus rugis contraxerit, & cilia ſummiſerit in imum. PHAR. Ne ergo amodo differ id mali aperire: quod ſicut latebris auctius fit, & inualeſcit: ita ſi venerit in lucem,

ſuum minuet illico ſtimulum, amittetq́; priſcum nocendi vigorem. SADD. Quanquam id mali, quo nunc angor, occulere, nec retegere vlli ſtatueram:quia tamen id iubes, & futurum quoq; ægro te medicū ſpondes: protinus, quis me mordeat coluber, aperiam. PHAR. Vt enim carmine tecum ludam,

Occulto nemo quit morbo ferre medelam.

Vbi igitur tuus mihi morbus innotuerit, ſpes medicaminis præſto aderit. SADD. Nuper, vt iam prædixi, in publicam noſtræ gentis ſynagogam de more aliorum me contuli: in qua inter noſtræ gentis primores, & ſacerdotum principes, varias de Reſurrectione mortuorum altercationes triſtibus auribus exaudiui. Quæ quidem ſenſum, vſqueadeo meum euerterunt: vt me propemodum in cuiuſdam deſperationis Barathrū coniecerint. PHAR. Rem in medium affers non mediocrem:nec tenui,aut leui dignam conflictu: imò ſedentariis animis, ac longo domeſticæ quietis ocio diſcutiendam, ſpem ſcilicet reſurrectionis mortuorum. In huius enim fide, ac ſcientia plurimi quondam,& quidem etiam è doctorum gregibus,naufragium perpeſsi ſunt: qui teneram ſuæ mentis nauiculam in cæcos ignorantiæ ſcopulos, ſtolide impegerunt. SADD. Sicut ab aurigarum ſolertia ſæpenumero fieri experimur, dum leuibus ſcuticarum ictibus inanes auras euerberant, vt eo pacto ſegniores equos, licet non verbere & plagis conflictent, ſono tamen tenus caſtigent. Ita ſanè accidit in ſynagoga, cui nunc interfui. Varius enim & inſolens mutuo altercantium clamor aërem coram me flagro ceci dit, vt auras euerberauit. Nihilq́; egit aliud, ſaltem apud me quàm quòd poſteaquàm meas aures aliquandiu bombis inanibus obtudit: etiam mihi altum animi ſtuporem

& heb

& hebetudinem mentis incuſsit. Deq; rei veritate, ſic anxium me reddidit, vt inter ſentes & pungentes aculeos triſtium opinionum me prorſus anxium, & ancipitem liquerit. PHAR. Haud, vt video, illegitimam rem redolet, nec parui habendam, tuæ mœſtitudinis occaſio. SADD. Hæc enim eſt, propter quam (quaſi à noxia ecſtaſi extra me factus ſim) vecordis de more viri pergo quidem nunc vagus quò neſcio: vel vt carmine ludam,

Quo mea me ſaltem trahit infatuata voluntas.

PHAR. Agnoſco iam abunde, quid mali te intus diſcruciet: quiſſue cordis mœror frontem tibi reddiderit, ſolito occurſu triſtiorem, rugisq; deformem. Sed dic quæſo, ac palam ediſſere, quidnam vtriq; parti iſtiuſmodi altercantium tandem conuenerit boni. Et quid de inclyta illa & plauſibili ſpe reſurrectionis mortuorum in communi illa ſeſsione ſenſere. An, inquam, in vnius tandem confluxerint ſententiæ riuulum tãta diſsidentium partium iurgia? an verò reuoluta ſint in diuiſionis biuium: vt propterea tuas (vt quæreris) aures non tam illexerint, quàm à nimia & confuſa clamoris inſolentia eas obtuderint? SADD. Vix quid ad hæc reſpondeam, extorquere à me ipſe queo. PHAR. Dic tamen iſtud vnum, an diſcordibus adhuc animis diſceptatio eorum infructuoſo & inani fine clauſa ſiluerit. Et ſi in eandem forte vrnam ierint coniecti ab vniuerſis ſententiarum lapilli. Et in quo tandem littore fixerit tantorum altercatio optimæ ſpei anchoram. An ſcilicet dexteriori melioriq; parti dederint palmam. An verò in deteriorem partem prolapſi ſint, quæ ſibi malè perſuaſa, reſurrectionem mortuorum reſpuat, ac prorſus neget. SADD. Vbi animaduerti, ab infeſtis litigantium clamoribus nil boni mihi conferri, immo verò

me auribus prorſus obtundi. Necnon ab emergentium vndecunq; triſtium opinionũ ſyluã nitidam alioqui meæ mentis aciem, tenebris offundi:meque etiam, quoquopacto extra me fieri: pertæſus aſyllum Synagogæ illius(velut fomitis iurgiorum, potiuſquam ſapidæ doctrinæ exhibitricis) foras egreſſus, eam deſerui. Et meæ me voluntati, in peregre dedi. PHAR. Ergo in quam partem ierint obſtreperæ illæ, atq; inſolétes,litigantium cõtrouerſiæ:in meliorem ne,an in deteriorem exploratum tibi non eſt.SAD. Non profecto. Nam quia amaro nimis eram animo:non multas ibidem horas, tranſigere volui. Quamobrem de re, in qua litigantes illi, dentibus dentes collidebant, & mutua incaſſum labia præmordebant: finem exitumque præſtolari nolui. PHAR. Nil aliud modo, de re tanta, ex te, certius agnoſcere valuero? Quidnam enim ibi actum ſit: quibúſue lapillis, ſua ſinguli vota diſtinxerint: Candidis ne, an nigris: magnopere, id ex ore tuo, audire deſidero. SADD. Vnum quiddam, meæ quidem memoriæ archiuo, altius inhæſit: cuius hactenus memini. PHA. Dic ergo id ocyus, vt audiam. SADD. Meæ quidem partis & factionis homines: hanc tandem iecere aleam: qua nullam mortuis,reſumendæ in poſterum carnis ſpem,linquerent. Nullámve futuram mortuorum reſurrectionem: proteruo potius, quàm ſagaci ore defenderent.PHAR.An etiam à Phariſæis, conſentanea in publicum,iacta ſit alea? SADD. Minime. Nam Phariſæorum turma, ex aduerſo occurrens & candidum diuerſæ opinioni calculum excutiens meliorem nobis dedit ſpem. Aſſeuerans quidem futuram nonnunquam, iuxta dei promiſſa reſurrectionem mortuorum.PHAR.Cùm ſis,vt facile,tuis ex verbis agnoſco è Sadducæorum hæreſi,miror quî ab eis, ea in re diſ-

ſentire

ſentire audes! SADD. E Sadducæorum quidem, quod ais, gente ſum: attamen nullus me paterni ſanguinis affectus in compedibus ignorantiæ remorabitur vt ideo nolim ferulæ ſanioris doctrinæ blandas illico manus ſubdere. Et iuſtam ſynceræ veritati palmam conferre. PHAR. Temerarium eſt, & ingentis ſtultitiæ ſignum, quempiam vſqueadeo addictum eſſe ſui ſanguinis & generis hæreſi, vt ideo vel agnitæ veritati terga det, vel ſubdi ſuauiſsimo illius iugo recuſet. SADD. Etiam id longe præſtantius, & pluris eſt apud me: vt ſiã ſcilicet diſcipulus veritatis potius quàm æmulus, & aſſecla paternæ opinionis: vbi ſaltem hanc ab orbita ac tramite veritatis didicero ire obliquam, ac deuiam. PHAR. Prodeſſe quit nihil, immò verò fallax eſt, generis natiuitatiſq; gloria: quæ male conſulit animarum ſaluti. SADD. Mihi quidem, ſicuti iam audiſti, vt nectare veritatis imbuar, & implicantibus falſitatis nexibus, ocyus abſoluar, ſtolidus paternæ cognationis affectus vili prorſus erit, nec oberit quicquam. Exuam enim ocyus, vetus illud fermentum: nec à noxia paterni generis farina diu mihi patiar illudi. PHAR. Prudentis conſilii eſt, nolle infido obſtinatæ voluntatis clypeo aduerſum veritatem contendere: & pro vili generis affectu calcitrare in ſtimulum. SADD. Abſit vt ea in re, quam norim, frugi mihi futuram, vel puncto quidem aduerſum te contendam: nec adſumam mihi in clypeũ hanc veterem & obſoletam patrum noſtrorum parœmiam: Propitius, inquam, ſit mihi Deus, Non eſt mihi vtile, relinquere aut mores, aut legem patrum meorum. PHAR. Probè egeris. Hæc enim quondam ſic in nobis viguit, vt hactenus ad ſalutem plurimis obfuerit. SADD. Quibus? PHAR. His ſanè pernocuit, quos ſtolido, & inani ſolius paterni ſanguinis funiculo de puerorum

rorum more inuiſcatos, ad meliora reſipiſcere inhibuit. Nam & à fructu veritatis eos abiunxit: & in ſcyppis ac compedibus falſitatis illigauit. SADD. Cæterùm vt ad rem veniamus: dic, oro te, id vnum: cur præmonueris me nequaquam inniti debere præmiſſæ illi patrum noſtrorum parœmiæ. PHAR. Id quidem ideo ab occaſione commonui: quia intellexi te natum è Sadducæorum hæreſi, quæ de veteri patrum conſuetudine male ſuaſa, & friuolo carnis amore illigata, ſummittere renuit aures veritati. SAD. Quid oro te veri, quídve quod vſui ſit ad ſalutem, gens noſtra audire faſtidit, & renuit audire? PHAR. Iam ea de re tecum ſermonem præmiſi: qui reſurrectionem mortuorũ tuæ genti ſine cauſa fore inuiſam, immò quaſi peroſam condocui: quæ tamen toti noſtræ genti, diuino ore repromiſſa, cœlitus inſonuit. SADD. Nondum de illius facta à Deo repromiſsione certior, & bene animo compos euaſi. PHAR. Veteres totius noſtræ gentis prophetæ à Deo illuſtrati, & per eorum ora Deo ipſo loquẽte futuram eam pronunciarunt. Quanquam illius quidem metam, ac periodum, velut agnitam ſoli Deo, nuſquam retegere auſi ſint. Quippe cuius momentum, Deus in ſua ſolius poteſtate reſeruans, neq; ipſis quidem etiam angelis patefacere voluerit. SADD. Hæc dum à nemine tam exacte edidici. PHAR. Quid ergo iuuat tuæ gentis homines, nolle boni ſibi conſulere: immò adurgenti obſiſtere ſtimulo, & hactenus propheticæ denuntiationi nolle procliuem ſummittere ceruicem? SADD. Attamen venturæ reſurrectionis promiſsio nil triſte canit, nihílue incommodi docilium & bonæ indolis hominum auribus infert. PHAR. Imò verò feſtiua ac plauſibilis eius auditio: proborum virorum aures iucunda tanti, & penè incredibilis boni pollicitatione,

tione,mirum in modum demulcet. SADD.Demulcet profectò, iuuatq; & oblectat plurimum. Quamobrem & ſi ea in re omnes obſtiterint, contradixerintq; ſanctioni diuinæ:ſed non tamen vnus ego.vt enim carmine colludam,

Perfacile id credo : quicquid cecinere Prophetæ.

PHAR. Cùm ſit hic error dignus venia, qui duntaxat à cunabulis & maternis vberibus inhæret cuiquam, & non ab iniqua obſtinatione deuiæ voluntatis, ignoſcendum erit tibi:non vtiq; ſponte tua, neq; voluntariè,nec demum ſcienter aberranti: ſed ab ſola tui generis ſuadela,peſsimè & ſiniſtiſsimè imbuto ad veritatis tamen lumen reſipiſcere ocyus ſatagenti. SADD.Ideo enim ego pertæſus ſynagogam illam, velut aſylum litium & obiurgationum, foras illico me proripui. Nam plenus eram intus pungentibus ſtimulis amaritudinum. Quia cui contendentium partium danda eſſet veritatis & victoriæ palma prorſus ignorabã. Præſertim mœror animi eo altius ſe meis præcordiis infuderat, quòd ea de re lis ibidem ageretur: quæ non exiguæ, nec contemnendæ ſpei videretur. PHA.Cum reſurrectionis auditio ſit ingens quiddam,& præſtantiſsimum hominis bonum: tanto enixius decet quemlibet applaudere huic diuinæ miſerationi,& gratias agere omniũ munerum, indultori Deo, quanto quidem reſurrectionis bonum cætera hominis antecellit munia:vt quod perruptã manu mortis totius hominis ſubſtãtiã inſtaurat. Quódve reſarciendo carnis & animæ coniugio, & quidem inſolubili, prorſusq; perenni, lætum canit epithalamium. SADD. Quantũ videre videor,id mihi longe melius habet, & præſtabilius multo eſt, audire ſcilicet, hominem iterum poſt fata ſurrecturum: & carnem eius licet in puluerem ſolutam, priſcum tamen corporis decorem, veramq; organo-

rum ſpeciem recepturam, quàm ſecus accidere. Ideſt, quàm geminas hominis partes inimico mortis iaculo diſiunctas perenni & iugi ſui diuortio, malè habituras. PHA. Cùm haud alioqui, quàm caduco, & perfunctorio ſolius corporis habitaculo diſtinxerit Deus hominem ab angelo: quis, obſecro, non id adſcribet ampliori humanæ felicitatis cumulo: ſcilicet, humanam ſubſtantiam in integritatem, & coniugia ſuarum vtriuſq; partium aliquando redituram: quàm perſeuerare eam in totius futuri æui ſpatio ſub triſti earum diuortio lugubrem, viduam, & prorſus infructuoſam. SADD. Si iuxta vulgi prouerbium, duo bona ſunt vno meliora: Sunt equidem: Et ſi etiam non tanti faciunda eſt partis beatitudo, totius felicitate ac beatitudine: nullum crede, tuis me verbis obicem aut diffidentiæ aggerem poſiturum. Omnino prima fronte illis adſentiar, vt iudicem, id longè eſſe deſiderabilius, atque præclarius, hominem in ſuæ totius integritate ſubſtantiæ fieri compotem diuinorum præmiorum, vereq; beatum: quàm in vnica duntaxat ſui portione eundem ad felicia euehi contubernia immortalium angelorum. PHAR. Dignum etenim eſt, vt tenera corporis appendix, quæ vel in militia virtutum, vel in illecebris vitiorum, cum anima in præſenti ſeculo ſudauit, fuitq; aut ſanctiorum particeps laborum, aut inanium & corrumpentium complex deliciarum: etiam pro veteris ſodalitii mercede, in futuro æuo, aut ab irrogatione ſuppliciorum, iuges cum illa pœnas det: aut certè præmiis perennibus exultet? SADD. His vt reor doctrinæ tuæ verbis ſi calculū quis non dederit: hunc certe dixero ſocordem, & hellebori indigum: ideoq; in Anticyram mittendum. PHAR. Si, vt belle ipſe noſti, nemo eam, quam vulgò dicimus mortem, velut inſignem

quendam,

quendam, & publicum hoſtem non timet. Et ſi quilibet inimicum illius iaculum, iuſtis de cauſis pauet, & perhorreſcit (vtpote, quod non modo in integra hominis ſubſtantia, dyaliſim diuiſionemq́; molitur:ſed etiam alteram ipſius partium, nempe formoſum corporis domicilium: detrudit in corruptionis exitium)quid quæſo, de felici ſpe reſurrectionis ipſi nobis à ſumma Dei clementia non pollicebimur? SADD. Tanto propterea amplioris gaudii tripudio congratulari & applaudere vnumquenque ſibiipſi oportere iudico, quanto quidem ab ſiniſtra contrariæ mortis auditione tinniunt cumprimis aures, cõcutitur exinde cor formidine,& afficitur anima mœrore:velut quæ à dilecta conſuetæ carnis manſione, ac domicilio, ſit non ſponte exhoſpitanda. PHAR. Nimirum anima imminente mortis hora lugubrem induit ſpeciem, velut quæ ſolutura prædulcem à ſororia carne anchoram,ſuſpicetur non ſolùm ſe in fumos ituram, ſed & humanæ totius ſubſtantiæ, quaſi in nihilum ituræ, perpeti iacturam formidet. SADD. Plurimi ad eum offendunt ſcopulum, qui falsò exiſtiment,ſibiq́; ſuadent, poſt mortem nullam ſuæ totius ſubſtantiæ portionem fore ſuperſtitem. Ego autem, ſi ritè ſapio,aliter ea de re ſentiendũ mihi bene perſuaſi. PHAR. Nondum à ſublimi veritatis promontorio te excidiſſe video: qui tibi tam benè perſuaſeris: nequaquam, vt aliqui falsò autumant, vniuerſam in morte periclitari hominis ſubſtantiam. Quandoquidem ſaluus ſuperſit,& incolumis illius animus: in quo credideris infeſtam mortis ſpinam, vim,poteſtatemq́; habere prorſus nullam. SADD.Cur ergo modo dixiſti, ingruente mortis hora affici hominis animum mœrore ac mœſtitudine, velut à formidine, ac metu, ſuæ totius ſubſtantiæ iugiter amittendæ? PH A.Cùm

id verbi leui ore effutii: credideris, me quidem, hac vice non omnino iuxta ſenſum ſapientum fuiſſe locutum: ſed ad ſiniſtram, & improbandam, quorundam opinionem, voluiſſe obiter alludere. SADD. Ad quam? PHAR. Eorum inquam opinioné obiter taxare & improbare volui, quos quidem ob immanitatem ſcelerum & flagitiorum, quæ in huius vitæ ſtadio perpetraſſe arguuntur, mordet, angit, & excruciat inteſtina venturorũ ſuppliciorum formido. SAD. Exiſtimo ego, qualis exacta fuerit alicuius vita; talis ſit & merces eidem à Deo impendenda. PHAR. Talis prorſus. Hi enim, qui exactorum ſcelerum ſibi malè conſcii ſunt, quia fortè malint, & optent, ſuamipſorum ſubſtantiam in morte vniuerſam aboleri, ireq; peſſum, & prorſus in nihilum, quàm alteram eius partem fieri iugem & ſuperſtitem: ideo id ita futurum ſibiipſis falſa & audaci ſuadela pollicitari audent. SADD. Hi quidem ſicut toto huius vitæ ſpatio immemores extitere virtutũ, ſectatoresq; carnalium deſideriorum: ita in fallentium voluptatum cœno volutati, cùm ab homine degeneres tum ſimiles iumentis inſipientibus euaſere. Et quia in lethæo vitiorum ſomno tandiu obdormierunt, nimirum trepidi ſuam Nemeſim formidant: torquetq; ideo eos aſsiduus futuræ pœnæ diuinæq; vltionis pauor. PHAR. Quapropter hunc metũ, dum quouis fuco falſæ perſuaſionis, quæ malorum obliuionem inducat, à ſeipſis excutere ſatagunt: quid mirum, ſi ad animarum immortalitatis auditionem, quam nimium contremiſcunt, ambabus aures manibus occludunt: & ad longè moleſtiorem venturæ reſurrectionis ſermonem, minas illis, infinitaq; ſupplicia in integri hominis ſubſtantia promittentem, etiam multo grauius expaueſcunt? SADD. Quia enim id, quod ſibiipſis euenturum formidant, tantopere

topere

topere audire recuſant: ideo ad exitialem Satanæ buccinam, tanquam ad fallacem Syrenæ neniam (licet funeſta, & funebria eis fata occlangentem) perfacilè, ac ſua ſatis ſponte expergeſiunt: eiusq; illecebri ſuaſiunculæ & credulas aures, & corda impendere gaudent. PHAR. Suggerunt quidem ſuis ipſi auribus, hi qui eius ſunt farinæ, rem peſtiferam: cùm ſcilicet autumant, nullam poſt huius vitæ periodum futuram amplius ſui memoriam: & ne quidem portiunculam etiam vnam ſuæ totius ipſorum ſubſtantiæ poſt fata, fore reſiduam. Ideo nimirum excuſſa à ſe diuinæ vltionis memoria, & poſthabita venturorum malorũ formidine: ad hoc demum ſe natos ſtolidi arbitrantur, vt ſuis tantum cupiditatibus paſsibiliter obſequantur. SAD. Grauis nimis peritiorum auribus eſt, infelix error iſtorũ: quoquidem cenſeo vſquam excogitari nõ poſſe exitialiorem alium, qui de tota ſaltem hominis ſubſtantia, vſqueadeo in morte deſperet: eamq; eouſq; exterminari, ac è medio tolli putet, vt reſiduum faciat ex ea prorſus nihil. PHAR. An, quæſo, Sadducæorũ gentem, eadem in ſtatera appendis: eamq; cenſes vſqueadeo fore infelicem? SADD. Nequaquam: Sadducæorum enim gentem, ex qua natus ſum, non vſqueadeo deluſam, deploratamq; inuenio: aut tantis ſaltem obfuſcatam animi tenebris. Hæc enim cùm ſit cultrix virtutum, venturiq; æui non immemor, didicit hominis, ſaltem animam, fore in morte ſuperſtitem, prorſusq; immortalem: quanquam de coniuga, & adiutrice corporis appendice, ſiniſtrè hactenus & malè audiat. Cuius quidem inſtaurationem, & iteratam cum anima vnionem, quia perſpectam eam aut ratione, aut fide non habet: ideo temerè deſpuere, & inficiari eam audet. PHAR. Sine igitur modo, & ſub pede habeto perniciosum, nec

tibi ignotum deluſæ tuæ gentis errorem. Si enim illi,te nō latenti, poſthac inhærebis: annumeraberis infelici eorum turmæ, quos ſacra eloquia, dum impietatis arguunt, eos quidem cùm in ſcientia peccantes, tum vt curarí renuentes, & ſuo ſe gladio tranſuerberantes appellant. SAD. Abſit,vt ſimilé his me inueniri patiar, qui in tali animi morbo velut clinici, & deſperati decumbunt. Cuius cùm ſibi bene conſcii ſint,vtilem tamen medici operam faſtidiunt. Quanquam enim aliquandiu lapſui meæ gentis, à cunis inhæſerim:dignus tamen ideo venia ſum,quia eo quidem malo me non ſponte imbui paſſus ſim:verum à cunabulis & ab ipſis matris vberibus prorſus inſons, amaram eius luem imbiberim. Cæterùm ſi me amas, des ocyus operá, vt quouis modo ea de re erudiar: & vel aliquo nitore rationum vel ſolido ſaltem fidei præſidio: exitialem illam paterni erroris luem,quæ me diu ſatis eluſit,protinus euomam: & ab arce meæ mentis noxium eius virus penitus excutiam. PHAR.Si teipſum quidem præbueris mente docilem, vt ſpoponderis fidelem,nihil erga te, factu difficile fuerit. Nam diſcipulum omnem priuſquam aut doctæ limina Mineruæ ſalutet, aut eius arenam pede calcet, operæprecium eſt cumprimis eſſe corde mitem, & fide ſtabilem: necnon ad ea quæcunq; diſcere & audire geſtierit,ſe gerere; ſicut auribus facilem,ita & animo menteq́; procliuem. SADD. Iam vſqueadeo flammeo diſcendæ veritatis deſiderio deflagraui, vt vel exiguæ horæ morulam non tolerem. Et vt euangelico eloquio, tranſeunter alludam: intinge iam ocyus extremum digiti tui in aquam, vt refrigeres paululum linguam meam. Nam in hac ingenitæ ignorantiæ flamma altius diſcrucior. PHAR.Audiſti,non neſcio,à vulgi prouerbio,Ventrem quidé cùm eſurit,ægrè

pati

pati famem, nec diu ſufferre cibi dilationem. Et valetudinarium omnem ab impatientia morbi ocyſsimam implo rare medici operam. SADD. Audiui : & certè iuxta eius adagii colluſionẽ mihi nunc accidit. Aegrum quippe me, ac tali vulnere ſaucium haud facile tolero. Ideoq; mihi feſtinandum ocyus eſt, vt alius euadam. Quod quidem fiet, ſi ab inteſtino animi morbo citius tuo pharmaco conualeſcam. Experiere quidem me deinceps qualem iubes: ideſt & auribus docilem, & corde credulum & mente beneuolum. PHAR. Dignum laude, & ſua mercede deſiderium iſtud tuum inuenio. Et perinde ac aridam & ſitientem terram : iuſtum eſt, vt decidua nubes cœlitus impraegnet, eamq; ſuo imbre fœcundet : ita deſiderii tui ardorem ingenuamq; mentis ſitim, dedecet non digno nectare ocyus ſatiari & inebriari. SADD. Si quid igitur noſti, quo de hactenus ignota mortuorum reſurrectione liceat me fieri certiorem meiq; compotem deſiderii, ne quaeſo morere, & ne in horas differ id è fœcundo tui animi promptuario huc agere in propatulum. PHAR. Non te virum compluribus in rebus eruditum latet, quoniam exigere ab aliquo ſolet nemo id, quod ſupra vires illius eſt: alioqui dignam ſuae petitionis auditurus eſt repulſam. SADD. Cur id modo coram me excuſationis affers. Víſne tergiuerſatione aliqua anhelam mei deſiderii differre optionem. PHAR. Quia cùm nullam, aut permodicam, naturali philoſophiae operam me nauaſſe meminerim, nónne fruſtra praeſtolaberis ex me vllũ nitidae rationis iuuamen, quo te de reſurrectione mortuorum faciam certiorem? Deſiderat quippe ex oliua vuas nemo: neq; viceuerſa, ex vite exigit quiſpiã oliuas. SADD. Vnde ergo eam, quam ſitio audire, reſurrectionem mortuorum diſcere valuiſti? & quis te illam edocuit,

cuit, ſi teipſum nunc apud me conclangis rerum omnium ignarum, & naturalis philoſophiæ imperitum? PHAR. A Moſaica lege eam edidici,& à Prophetis: quibus quidem ad literam, vt noſtri adoleſcentes ſolent, tenaci memoriæ demandandis à puerilibus annis ſollicite incubui. Dum enim maiorem ætatis meæ partem, in his quæ Dei ſunt diſcendis, tranſegi: hinc humanarum diſciplinarum officinam vtpote non vſqueadeo fructuoſam,minus excolui. Et cùm in pingui, ac fœcunda naturalis philoſophiæ arena: nunquam ſub alicuius ferula conſederim:qui fiet,vt rerum quæ ſub ſole ſunt,& fiunt rationes & cauſas diſcere valuerim? SADD. Ne tamen,quæſo,orphanum me linque: nec patiare, à mea me ſpe vtcunq; deludi: & expectationem diuturnam, qua iandudum elangui, irritam fieri. PHAR. Fruſtra,quod aiunt, ab aura nec ventoſa, nec nubila, ſed tranquilla & ſerena, exigere præſumit quis aut niuem, aut pluuiam,aut grandinem. Quæ tria quidem à media aëris regione non alioqui quàm nubibus obſeſſa, & ventorum turbinibus ac procellis intranquilla, in ſitientem terræ vterum eiaculantur. Quamobrem ſi id quod altius viribus meis eſt,cuiúſve omnino ſum inops, audaci ore tibi pollicerer:nónne à mendacio inanium pollicitationum de iure repetundarum abs te arguerer? SADD.Incaſſum igitur huc ad te venerim,& inanes aliquot horas hic tranſegerim, ſi mente vacuus,nec mei deſiderii compos hinc abs te abire domum compellar. PHAR. Vt à vulgi prouerbio te parumper coarguam,Nodum in ſcirpo quæris. Vel certè in torrente,aquarum multarum te ſiti periclitaturum formidas.Timesq; etiã timore,vbi non eſt timor.SADD.Quamobrem? PHAR. Quia cum ab ipſis veteris teſtamenti libris qui ab ineunte ætate præ manibus tibi ſunt, id quod ſitias

ſitias imbiberis: quid tantopere à me id geſtis audire. In his quippe vberes redundant diuinarum promiſsionum latices,qui optimam nobis ſpem, vti mortuorum reſurrectionem, venturiq; ſeculi inſtaurationem,fideliſsima tuba ſtipulentur. SADD. Si noſtræ gentis libri ardua hæc myſteria prætexunt, quid hic moror? Confido enim, & ſpero,quoniam ſollicita, ac ſedula eorũ lectio,mihi ſit abunde profutura:& ea quæ abs te imploro vberius exhibitura. PHAR. Fructus lectionis nauci eſt, & parum admodum alicui prodeſt, ſi non his quæ lectitauerit mitem cumprimis, ac docilem inclinauerit fidei & cordis ceruicẽ.Quòd ſi his, quæ ſancti prophetæ Deo afflati veridico ore cecinerunt,credere non dedignaberis: quid fruſtra anxius es, ac meticuloſus, vt formides te tandem hinc haud abſimilem abſceſſurum, qualem te huc aduentaſſe profiteris, rerum ſcilicet omnium ignarum?Cæterùm ne mihi plus iuſto moleſtus ſis: néue vllam horarum iacturam te hac in palæſtra apud me feciſſe deplores:dic, quæſo,legiſtíne aliquando prophetam Ezechielem? SADD. Legi profectò: & quidem plus ſemel.Adeo vt fideli memoriæ,ſenſa illius, etiam ad literam demandarim. Sed quid nunc ad me, de Ezechiele? PHAR.Vnius Ezechielis liber præ cunctis prophetarum vaticiniis luculentius de humanæ reſurrectionis certitudine teſtimonium promit:Adeo vt ſufficiat vel hic teſtis vnus dubietatem,& incredulitatem venturæ reſurrectionis,à mente hæſitantium,aut negantium,diſcutere: & immittere illi, eius certitudinem & fidem. SADD.Num in aliis etiam prophetis vlla ſit de reſurrectionis ſpe fida & vtilis ſermocinatio? PHAR. Immò:& quidem quàm creberrima. SADD.Affer ergo huc eorum quempiam vnum vtilem ea in re teſtem. PHAR. Audiſti, non dubium eſt,

quidnam ſapientiſsimus Iob de ea cecinerit, cùm dixit: Scio enim,inquit, quòd redemptor meus viuit: Et in nouiſsimo die de terra ſurrecturus ſum: & rurſum circundabor pelle mea,& in carne mea videbo deum ſaluatorem meum. SADD. Hæc quidem verba, ad literam, nos belle erudiunt certamq́; nobis & apertam ipſius reſurrectionis fidem pollicentur. PHAR. Audi rurſum, quid aduerſum hæreticos ſapiens ille adiiciat: eos ſcilicet, qui licet reſurrectioni fauerent, eamq́; nequicquam abnuerent: non tamen eoſdem, ſed alios pro aliis ſurrecturos,nephando errore confingerent. Ait enim inſuper: Quem viſurus ſum ego ipſe, & non alius. Quaſi ſuggerat:ego inquit ipſemet, qui defunctus fuero, reſurgam: & non alius pro me quiſpiam. Et videbo ego ipſe Deum ſaluatorem meum. SAD. Vtiliſsimam certè inuenio, & prouidam hanc ſapientiſsimi viri cautionem aduerſum,quod ais,peſtiferam,& dictu nephandam nonnullorum hæreſim. Cuius quidem auditio,ſicut auribus eſt permoleſta,ità & proborum cordibus longè amplius iniucunda. Sed an ex aliis etiam prophetis mentionem reſurrectionis mortuorum depromere non liceat? PHAR. Immò equidem licet. Sed quia immodicus ea in re ſuccreſceret labor tranſiliens omnem libri molem ideo ſat impræſentiarum mihi fuit, paucorum, & præſertim vnius Ezechielis teſtimonio ardenti tuo mederi deſiderio. Huic enim vni plus longe quàm cæteris ea in re tribuo:vt qui verbis apertioribus,& quidem Singillatim,venturæ reſurrectionis exponit digeriem & ordinem. SADD. Si ritè, & benè ſingulorum memini, hunc locum, in quo reſurrectionis myſterium tangit Ezechiel,eius liber capite ſeptimo ſupra vigeſimũ exequitur. Ibi enim iubente Deo, raptus à ſpiritu propheta,ad multitudinem interfectorum,

in

in agro iacentium, ſermonem intendit: quibus vbi integerrimam ſuorum corporum inſtaurationem, cum reuocatione ſpirituum ex ore iubentis Dei repromiſit:ſubinde modum perficiundæ eiuſmodi reſurrectionis ſingillatim ac particulatim explanat. PHAR. Reſume igitur parumper in os verba prophetæ de ſpe reſurrectionis; ſi ſaltem nondum tibi à fœcundo memoriæ promptuario exciderunt. SADD. Spiritus cumprimis domini rapuit tranſtulitq́; virum prophetam in campum, quem quidem plenũ & confertum oſsibus mortuorum,ei oſtendit. Tunc iuſsit, vt ore aperto de eis prophetaret:eaq́; mox vitam,ſpiritũq́; receptura concineret. Obediens igitur Deo propheta, in hæc illico verba prorupit: factus eſt, inquit, ſonitus prophetante me: & ecce commotio. Et acceſſerunt oſſa ad oſſa, vnumquodq; ad iuncturam ſuam. Et vidi. Et ecce ſuper ea nerui, & carnes aſcenderunt. Et extenta eſt in eis cutis deſuper. Et ſpiritum non habebant. Et dixit ad me: Vaticinare ad ſpiritum, & dices: A quatuor ventis veni ſpiritus: & inſuffla ſuper interfectos iſtos, & reuiuiſcant. Et prophetaui ſicut præceperat mihi: & ingreſſus eſt in ea ſpiritus & reuixerunt, ſteteruntq́; ſuper pedes ſuos, exercitus grandis valde. Eſt'ne hic locus Ezechielis quem nũc ad literam à me recenſeri voluiſti? PHAR. Is eſt prorſus, quem dexteritas memoriæ, qua præ multis polles, tibi ad vnguem,opportune refudit. SADD. Quid cauſæ tibi eſt,vt modo illum recenſeri à me iuſſeris? PHAR. Id ideo fieri volui,vt ex illius contextu legeres, non modò indubitatũ, & certiſsimum noſtræ reſurrectionis teſtimonium:verùm etiam vt latius edocereris, eius perficiundæ & abſoluendæ ſeriem. SADD. Eſto id quidem: & nec diffitear,ſufficientem fortè eſſe hanc veridici prophetæ conteſtationem, vt

ſaxeam increduli cordis duritiem emolliat conflet'q; in viri etiam Sadducæi mente eam, quam perſuadere illi poteſt nemo, felicem venturæ reſurrectionis fidem: nondum tamen à deſiderio meo penitus exſatior: nec omni ea, qua angor, animi anxietate ac dubietate liberor. PHAR. Quænam ea in re dubietas te adhuc diſtorquet, & angit? SAD. Quia nondum ritè edidici, an futura mortuorum reſurrectio ſit ea lege, ac ſerie, à Deo perficiunda, qua ſermo prophetæ illã nobis ſingillatim & particulatim explicuit. PHAR. Ad quid nunc iſtuc percontaris: cùm ſit propheticæ prædictioni, tanquam ex ipſius ore Dei prodeunti, danda fides: & nec quidem puncto ab ea euariandum? SADD. Ideo id modo percontationis moui: non quòd de ipſius reſurrectionis ſubſtantia anxius adhuc, ac dubius ſim. Sed quia nonnunquam audierim inter eos, qui reſurrectionis, & fidem & ſpem, alto in ſinu repoſitam habent: quiq; de eius euentu nihilo anxii ſunt, quandam inualuiſſe controuerſiam, quæ me animo ſuſpendit, & anxiũ linquit. PHA. Quid, rogo, id controuerſiæ eſt, quod eos quanquam credentes, efficiat tamen ea adhuc in re diſcordes? SADD. Quia, vt accepi, nonnullis eorum placet, futurum reſurrectionis modum prorſus inſtantaneũ: & tam omniũ generatim hominũ, quàm etiã ſingulorum reſurrectionẽ perficiendam à Deo prorſus in inſtanti. Atqui ſermo prophetæ aliter illam exequi videtur: vt qui in tempore, & per partes illius modum diuinitus perficiundum explicuit. Nã corporum inſtaurationem: per oſſa, neruos, carnem, & cutem, diuiſim conficiendam expreſſit. Poſtremò ſpiritum in eorum manſiones à quatuor cœli ventis reuocandum præcinuit. PHAR. An igitur te in reſurrectionis dubium verba prophetæ depellunt? Aut an conceptam illius fidem tibi

tibi aliquantiſper imminuunt? SADD. Nequaquam. Quandoquidem, ſicut iam prædixi, de ſubſtantia, & ſpe venturæ reſurrectionis, à prophetica ſuggeſtione iam certior euaſerim. Sed illius modum ab vllis nondum edidici. Ideoq;, qui duntaxat hactenus dubius & anxius ſum: eiuſmodi dubietatis ſcrupo liberari ocyus geſtio. PHAR. Ne ob verba prophetæ quicquam dimoueare ab axe veri: nec patiare ideo te funibus vllis protrahi in dubium. Quòd enim ſanctus propheta ſingillatim reſurrectionem abſoluendam concinuit: id quidem fecit, non vt in ea dies, horáſve, aut vllas tẽporis moras innueret. Quandoquidem abſoluenda eſt hæc, & perficienda magno Dei miraculo, in temporis momento. SADD. Cur ergo propheta eam particulatim abſoluendã expreſsit: quod abſq; temporis interuẽtu patrari prorſus nequit? PHAR. Id quidem fecit propheta, vt ſtolidam quorundam opinionem funditus euerteret: & præruptum vetuſtiſsimi erroris aggerem ſolo penitus æquaret. SADD. Quorum quæſo? PHA. Eorum inquam, qui olim in mirifico, prorſusq; diuino reſurrectionis beneficio latè à veritate deuiantes dixere, aut non idem, aut non verum: ſed vel diuerſum, vel phantaſticum defuncti hominis corpus à Deo inſtaurandum: & priſco animæ coniugio iterum vniendum. SAD. Noua quædam auribus refers, & hactenus mihi inaudita: ſed quæſo, an quondam nonnulli, eius tam ſtolidæ opinionis extitiſſe memorentur? PHAR. Immò ſanè plurimi, qui id magna ſuæ improbitatis ſtoliditate ſenſere: ii tamen, qui & boni, & veri conſulunt, aliter ea de re ſentiendum nouere. SAD. Sed dic, quæſo, id vnum: cur prophetica vox ipſum reſurrectionis euentum particulatim, & per partes abſoluendum nobis inſonuit? PHA. Vt hoc quidem ſigno

oſtenderet, atq; edoceret, nullam prorſus noſtri corporis portiunculam in morte, ſiue in puluere linquendam: nihilq; omnino quod ad nos attinuerit: in effectu venturæ reſurrectionis omittendum,& obliuioni dedendum. SAD. Alludet igitur, ac prorſus conſentiet huic euangelico eloquio indulgendum à Deo reſurrectionis beneficium, & capillus de capite veſtro non peribit. PHAR. Alludet profectò. Ideo etenim propheta Ezechiel in ventura corporũ inſtauratione ſeorſum nominauit, primùm quidem oſſa, deinde neruos, ſubinde carnem, poſtremo & cutem: vt eo quidem pacto à corporis phantaſtici & putatiui hallucinatione noſtram auerteret intelligentiam. SADD. Corpori enim phantaſtico & imaginario obſequioſa iſtiuſmodi membrorum & partium adminicula non adſunt: imò prorſus deſunt, ſicuti ab euãgelio audimus, Spiritus, inquit, carnem & oſſa non habent. PHAR. Cùm dominus IESVS poſt reſurrectionem ſuam diſcipulis ſuis viuus apparuit, & illi ab inſperata eius viſione exterriti, putarent non hominem, ſed phantaſma ſibi apparere: eos illico his verbis reprehendit, & arguit: Palpate, inquit, & videte: quia ego ipſe ſum. Spiritus carnem & oſſa non habent, ſicut me videtis habere. SADD. His quidem verbis manifeſte eos edocuit, non phantaſma, non pertenuis vmbræ monogrammũ eis apparere: non deniq; ſpiritum, ſed ipſummet eſſe eundem, qui diu cum eis conuerſatus fuerat: qui in cruce pependerat: qui demum in ſepulcro iacuerat, & rediuiuus eis apparebat. PHAR. Quod ergo de Chriſto nũc audis, id de ſingulorum hominum reſurrectione ſentiendum tibi ipſi oppido perſuade. Mutabat quidem interim Chriſtus in ſui apparitione conſuetam ſui vultus figuram: ſed nequaquam variabat priſcam corporis & animæ ſub-

ſtantiam: quam prorſus eandem in numero illis, non ſolum viſendam, verùm & digitis manibúſve palpandam, & contrectandam exhibebat. SADD. Quin etiam, vt validiore teſtimonio, de ſua reſurrectione fidem & certitudinem illis incuteret, quanquam cibo & potu non indigeret, cum eis tamen viſibiliter manducauit & bibit. PHA. Quadruplici ſenſuum teſtimonio diſcipuli de indubitata eius reſurrectione certiores ſe euaſiſſe gauiſi ſunt. Viderunt enim oculis illum, manibus palpauerunt, loquentem audierunt, cumq; etiam eo manducauerunt & biberunt. Quibus quidem teſtimoniis ac ſignis IESVS diuerſi, vel phantaſtici corporis opinionem prorſus illis ademit. SAD. Sed iam ad noſtri reuertamur ſermonis initium. Fiet ergo, vt ais, ventura hominum reſurrectio tota ſimul, & in vnius inſtantis puncto abſoluetur. PHAR. Crede, ac tibi perſuade, hanc profectò totá ſimul diuinitus abſoluendam, & in inſtanti vno explendá: tam equidé reſurrectionem ſingulorum, quàm etiam omnium hominũ, ſecundum ſpeciem. SADD. Vnus ergo homo non alio reſurget prior? PHAR. Non. In eodem quippe inſtanti, & in momento vno, atque in nictu oculi, cùm nouiſsima canet tuba, fiet rediuiua omnis caro. Et reſurget ex arenæ ſuæ cumulo ingens & immenſa omnium humanorum corporum area. SAD. Corpus tamen hominis in vtero matris haudquaquam in inſtanti, ſed in tempore, & diuiduè coaluit. Sed nec etiam veriſimile eſt, illico in vterinæ conceptionis momento: exortam in illo fuiſſe animam, quæ totius hominis ſubſtantiá duxerit ad perfectionis & integritatis ſuæ culmen. PHAR. Haud diffiteri id licet: quod notum nullis non eſt. Quis enim ignoret, in occulta hominis conceptione, vſq; ad natiuitatis momentum, fluxas temporis moras, quippe menſium

ſium ter trium intercurriſſe? At in omnium reſurrectione longe ſecus eueniet. Hæc enim quia haud ex conſueto naturæ opificio robur ſuæ ſpei emutuabit: (vt pote quam ab immenſa, & abſoluta ſolius Dei potentia, conſuetum naturæ opificium vincente, futuram expectamus) ideo ſubducenda eſt in ea, tam ab ſingulorum hominum integritate, quàm ab vniuerſorum nihilominus numero, ipſa fluxa, ac diuidua temporis ſeries. SADD. Quopacto id fiet, vt hinc à ſingulis, & hinc ab omnibus, velis ſubducendam fore ipſam temporis ſucceſsionem? PHAR. A ſingulis quidem dico, vt cogitemus, non vllú aliquod noſtri corporis membrum ante aliud è ſuo puluere excitandum. Ab omnibus verò, vt ſicuti iam præmiſi, non alius alio homo exurgat è ſuo puluere prior. Supremus quippe diuinæ tubæ clangor cùm inſonuerit, excitabit omnes, cõuocabitq; repentè vniuerſos, qui ſomno & ſilentio mortis depreſsi in puluere dormiunt: vt adſtent ante iudicis tribunal: ibiq; ſuorum rationem operum reddituri: iuxta eorum qualitatem condignam ab eo recipiant mercedem. Nunc verò dic mihi, ſatíſne tibi eſt vnus teſtis Ezechiel, cuius digna & fidelis ſuadela conflet in te dubiæ reſurrectionis fidem? SADD. Quanquam ſcriptum ſit, In ore duorum aut trium teſtiũ omne conſiſtere verbum: ea tamen in re, qua de nunc agimus, haud teſtes depopoſcero plures: quandoquidem autoritas vnius prophetæ facile exuperet omnium teſtium numerum. Cæterùm malim tamen ego medio rationis rẽ mecum agi, quàm ſimplici, ſeu vaga, ac debili autoritate teſtium. PHAR. Iamiam iſtud apud te ſemel præmiſi: non, inquam, mei eſſe officii tecum rationibus agere. Sed ſolà niti autoritate ſcripturarum. Nam nec è ciſterna humanæ ſapientiæ mea aliquando labra me proluiſſe memini:

nec

nec item variis Ethnicorum, ſeu gētilium doctrinis curioſus lector aut auditor incubui:nec philoſophicæ demũ ferulæ procliues manus vnquam ſubmiſi. Veruntamen ſi ad ea,quæ fœcundo ore tibi deinceps euomuero,mitem cumprimis, ac docilem teipſum præbueris: non te ſanè in his, quæ tibi ſunt cordi: quæ've à me exigis, orphanum linquam. Immò ſedulam,ac ſollicitam dabo operam,vt complufcula de beata venturæ reſurrectionis ſpe, & expectatione,patrum noſtrorum teſtimonia iſtuc citentur:quæ nō infirmiorem ſolido rationis robore ſint habitura autoritatem. Quæ've conflent tibi id tandem myſterii, in cuius nanciſcenda fide mutuam hanc ambo cœpimus exercere palæſtram. SAD. Cùm nondum exciderit mihi,nec obliuioni data ſit,tenax Moſaicorum,Propheticorumq; librorum memoria:ſuperuacaneum fuerit, te qualicunq; teſtiũ numero rem apud me, quam moliris,velle conficere. Veruntamen nō calcitrabo in ſtimulum,nec pronas aures ab auditione veritatis aliò abducam:qui & polliceor horulá, & patienter audiam, ſi vno adhuc teſte ea de re mecum agere te nequaquam piguerit. PHAR. Dic iam,oro te,cur patriarcha Ioſeph, præuidens à longe (nempè annos ante quadringentos)futuram remigrationem ſuæ gentis ex Aegypto in terram patrum ſuorum,præcepit ſuis,vt cùm tandem viſitaret eos Deus, ipſi quidem oſſa ſua in terrā chanaam ſecum exportarent? Quod quidem poſtea, generatione ſcilicet quarta,Hebræorum poſteritas impleuit:Quæ tranſlata ſecum illius oſſa in Sychem ſepeliuit. SAD. Patrii forte ſoli amor ad id rei patriarcham Ioſeph,velut Philopolitem & patriæ amatorem commouit.Id enim & Iacob inclytus Iſraeliticarum tribuum pater,fecit. Qui corporis ſui exuuias in Aegypto ſepeliri inhibuit: præcipiens filiis

ſuis,eas referri in patrum ſuorum mauſoleum. Quod quidem illico vniuerſi eius filii,poſteaquam illud dignis aromatibus condierunt, cum ſumma comitantium Aegyptiorum ambitione, ac faſtu, impleuerunt. Quamobrem in amborum inhumatione nihil rationis aut myſterii inuenio:niſi aut ſollicitum amorem patriæ, aut inueteratam conſuetudinem ſepulturæ. PHAR. Quanquam non aliud ibi contueris, niſi vel ſolius amorem patriæ, vel antiquam conſuetudinem ſepulturæ: conſpicor tamen ibi ego quicquam longè profundius, quod nimirum te minus oculatum hactenus latet. SADD. Quid rogo, quod præter me eſt, quódve me latet, ibi contueris? PHAR. Speculor ibidem futuræ reſurrectionis omen, & beatæ ſpei ſpecimen: necnon quandam animæ, licet per tempus, à cubili ſociæ carnis abiunctæ innatam,in ſuum iterum corpus remeandi inclinationem. SADD. Quopacto id? PHAR. Quia ſi anima, quanquam morte à ſociæ carnis thoro ſoluta, tamen in poſterum ab omni ſpe reſumendi corporis prorſus excideret: ad quid illa, dum adhuc in carne degit, illius poſt mortem curam ageret, & electum ſepulturæ locũ tantopere illi prouideret? SADD. Id ſanè,mihi ſuperfluum appareret. PHAR. Superfluum profectò, & caſſum id foret: animam ſcilicet adhuc in carne degentem,peruigilem eius ſepulturæ curam & prouidentiam non negligere:quã ſemel amiſſam reſumere, et in eam deinceps reuerti non liceret. SADD. Perinde ac ſi quis ab ſua domo demigrans vadensq; peregrè, ſpe in eam aliquando remeandi careret:certe hic ſuperfluam cuſtodiundæ domus ſuæ curam ſecum gereret. PHAR. Quia verò animæ(ſaltem ſapientũ, & occulta animarum myſteria noſcentium) vbi à carne per mortem demigrant: ſciunt, confidunt, ſperantq; &

optan

optant iterum in priſtinæ carnis domicilium reuerti:ideo in hac vita, vel mauſólea ſibiipſis accuratè inſtrui iubent: vel ab ſuis hæredibus, & amicis,id opis ſollicitè implorát: orantes, ne vel ſui cadaueris,vel ſaltem oſsium, aut cinerũ ſuorum cura dedatur neglectui. SAD. Auguror ego hinc fortaſſe emanaſſe opinionem quorundam, planè meo ſaltem iudicio ridiculam:qua nonnulli volunt, animas triſti mortis fato à carnis vinculo ſolutas, circum ſua buſta,aut ſepulcra, inſtar vmbrarum, frequentiuſcule conuerſari. Tanquam quæ quadam inclinatione, & ſpe, ac deſiderio: reſumendæ carnis illigentur: cupiantq; ac ſperent,in eam aliquãdo regredi manſiunculam:quam, morte amborum fœdera diſſociante, carnem quoq; in cineres abſumente, liquerunt. PHAR. Id quidem, quanquam & fabuloſum, & riſu dignum tibi ſit, tamen Macrobius, & compluſculi philoſophorum gentilium, huic olim opinioni, calculum dedere. Vt qui velint, animas, quas ſuo ritu vmbras, maneſq; dixere, poſt obitum, aut in ſuis per tempus immorari ſepulcris:aut circum ea vagari & oberrare quàm frequentiuſculæ. Quamobrem nimirum, ſi animæ quandiu adhuc ſuis in corporibus degunt, quanquam non neſciũt, corpora tandem ſua in cinerem reſoluenda, de eorum tamen ſepultura ante obitum meminerunt: prouidentq; ac iubent, ne vel ab hæredum ſuorum negligẽtia linquantur ſuper faciem terræ inſepulta. Quinimmo honeſto in loco, quæ ſibiipſis dũ viuerent prouiderunt, condantur ſub humo. SAD. Non diffiteor, iam eiuſmodi curam & prouidentiam, ſepeliendorum honeſto quodam in loco corporum, ad ſuadelam venturæ reſurrectionis aliquid præ ſe ferre coniecturæ:ponderíſve, & momenti. Cæterùm oro te,quid de Romanis dicturus es,de quorum conſuetudine

facile mihi perſuadeo, eos de reſurrectionis ſpe, & cœleſti myſterio nihil prorſus olim olfeciſſe. PHAR. Ad quid nūc de romanis mentionem huc introducis; præſenti negotio plane impertinentem? SADD. Quia à multis edidici, romanos celeberrimo quondam rogo conſueuiſſe maiorū ſuorum corpora, publico in loco exurere: & nil prorſus ex eis linquere, præter duntaxat fauillas, & cinerum quiſquilias. PHAR. Id quidem Romanæ conſuetudinis, de corporum & cadauerum ſuorum exuſtione nullum prorſus optatiſsimæ ſpei, futuræ reſurrectionis obicem ponit. Nec ad ſcopulos erroris tantam Dei venturam ſuper nos miſerationem allidit. SADD. Quopacto id defendes? PHAR. Quia forte Romani eo tempore nihil prorſus de ſpe & expectatione venturæ reſurrectionis audierāt. Quippe quam necdum ora prophetarum, nec aliorum à Deo illuſtratorum virorum labia illis (vtpote in cœno & cultu idolorum depreſsis) inſonuerant. SADD. Si tamen vllam futuræ reſurrectionis ſpem, & rediuiuæ carnis expectationem quibuſdam romanorum ſapientibus quondam illuxiſſe non diffiteberis, affer obſecro aliquod iſtuc eius rei ſignum. PHA. Quia cum romani in ambuſtione corporum eos qui ſuperfuerant è rogo cineres non illico in ventos ſpargerent, ſed eos, aut marmoreis in vrnis ſub terra honeſtiſsimè condi: aut in cochlidibus columnis præ cunctorum oculis surſum adſeruari iuberent: hinc forte aliquam reſumendorū corporum ſpem eos habuiſſe, deq; reſurrectione nonnihil apud ſemetipſos excogitaſſe, tibi perſuade. SADD. Id, vt video, ſua perſuaſione non caret. Sed audiſtíne etiam vetuſtiſsimum, & præcipuæ curioſitatis Aegyptiorum morem: qui integra poſt mortem ſuorum maiorū corpora, priuſquam ea dignis in mauſoleis contegerent, precioſis aro-

matibus

matibus intus foriſq; per veſpilonum manus condire & inungere ſolebant: exiſtimantes fortaſſe, eorum cadauera aut virtute aromatum incorruptibilia fieri: aut eo ſaltem pacto non fore vlli obnoxia cariei & putredini, vel vermiculorum corroſioni. PHA. Audiui, & ab hiſtoriarum fide dudum edidici. Id enim conſuetudinis Aegyptiorum ab eis ad nos vſq; manauit. Qua quidẽ etiam patres noſtros vſos fuiſſe à ſacris eloquiis commemoratur. SADD. Diuerſis iſtiuſmodi diuerſarum regionum & nationum conſuetudinibus nimirum cauſa equidem aliqua, & myſtica ratio, initium dedit. PHAR. Nihil profectò abſq; cauſa vel veraci, vel apparente, dudum ab hominibus inſtitutum fuiſſe crediderim. Nunquídne etiam audiſti, dudum inter barbaras quaſdam nationes, id quoq; perridiculæ & ludibrio habendæ conſuetudinis, dudum inoleuiſſe, vt corpora ipſi ſua, non ſicuti fit apud nos, ſupina, aut humi iacentia: ſed ſtatura prorſus erecta, verſo in cœlum capite, ſepelirent, & humo contegerent? SADD. Audiuiſſe me iſtud vix memini. Sed quæſo, ſi noſti, dic cur id moris illi obſeruabãt? PHAR. Id ideo illi factitabant, vt in supremæ reſurrectionis die ad cœleſtis & terrificæ tubæ clangorem citius in ſua corpora expergefactæ remearent animæ. Et eo quoq; pacto, expeditiore ac liberiore ſui corporis ſtatu ipſi celerius reſurgerent. SADD. Si id verum eſt, quod iam abs te edidici, abſoluendam ſcilicet vniuerſorum reſurrectionem in inſtanti: nónne ludibrio habenda erit, & explodenda iſtiuſmodi barbare gentis opinio, & ſtolidæ conſuetudinis obſeruatio? PHAR. Habenda profectò erit ludibrio. Cùm enim te docuerim, vniuerſos in eodem prorſus momento, è ſui pulueris area, à Deo excitandos: hinc nec varium mortis genus, nec item ritum, ſeu nondum ſepulturæ in reſurrectionis

rectionis obicem cauſari quiſquam debet, quaſi hæc allatura ſint quicquam differentiæ aut impedimenti in omniũ reſurrectione. SADD. Reor igitur ego, quoniam non citius is equidem reſurget, cuius corpus ſale, oleo, & quibuſuis aromatibus inunctum perſeuerauerit vel diu, vel vſq; in finem incorruptum, & à fœdis vermiculorum corroſionibus illæſum: eo, cuius cadauer aut exuſtione ſui aut corroſione vermium, aut carie & putredine, aut alio quouis exterminio ierit in cineres. PHAR. Crede & perſuaſum tibi habe, omnium reſurrectionem futuram hactenus vniformem: ideſt, differentiam temporis habituram prorſus nullam. SADD. Immenſâ igitur Dei potentia vno inſtanti id aget: vt ſolutam omnium humanorum corporum thecá, non modo vel ex vltimis cinerum quiſquiliis inſtauret: verumetiam animas, velut à longo mortis exilio in terram & in regionem ſuam remeantes, in priſtinæ carnis manſiunculam retrudat. PHAR. Iuſtum enim eſt vt Deus animas ei domicilio reddat, eaſq; perpetim in illo habitare iubeat, in quo ſub cœlis degentes, vel monilia virtutum, vel fœditates vitiorum excoluerunt. SAD. Id enim diuinæ & æquiſſimæ lanci tribuetur: vt vnicuiq; animæ iuxta ſuorum operum menſuram, vel rerum malè geſtarum ſupplicia, vel virtutũ præmia in ſuis corporibus irrogentur. PHA. Cùm pauendus ille cœleſtis tubæ clangor ſuprêma die inſonuerit: credideris, in eo inſtanti nullum non hominum corpus è ſuo puluere ſurrecturum: & vnà quoq; in illius domiciliũ futuram reuocantis Dei virtute remigrationem animarũ. Iuſtum etenim eſt, vt caro, quæ fuit particeps laboris in adſecutione aut virtutum aut vitiorum: ſit & in futuro æuo conſors præmiorum, aut ſuppliciorum. SADD. Si hæc, quæ audio, nihil diſcrepant à vero (quibuſquidem ego cum-

primis,

primis, bene perſuaſus, facile conſentio)non modica ammiratione ſuſpendor,cur hactenus Sadducæorum gens ad tam felicem, & verè beatam venturæ reſurrectionis auditionem pertinacißimas aures occluſerit. Et cur ei quoque veritati colla ſubmittere dedignetur:quæ deſiderabilem tamen cunctis ſpem diuino propheticoq; ore cunctis pollicetur. PHAR. Auditio venturi alicuius mali,aut grauißimi incommodi, nimirum deterrere homines,eorumq; occludere trepidas aures ſolet:eosq; minacibus dictis mala nunciantibus credere, præbere fidem non patitur. SADD. At verò ad commemorationem tanti boni, cuiuſmodi eſt hominum reſurrectio, vix video,cur Sadducæi occluſis auribus tandiu perſtiterint increduli. Quinimo feſtiuiter eos lætari oportuerit, & applaudere.gratiasq; agere cuiq; viro ſapienti,eos.ab innati erroris lue liberare cupienti:deq; gratuita Dei prouidentia certiores eos efficere ſatagéti. PHA. Ignorantiæ ſentina communis eſt & publica malorum omnium cauſa. Hæc enim fecit,vt hactenus ad eorum, qui ſe Sadducæos dicunt, ſtomachum tam malè & ſiniſtime quadraret auditæ reſurrectionis iucũda & plauſibilis memoria. Nũc verò congratulandum tibiipſi fuerit,qui ſuaſiunculis vtcunq; noſtris te vſqueadeo docilem præbueris: vt mox excuſſeris à ceruicibus tuis pernicioſum tuæ gentis errorem:reſipuerisq; tandem,ad exoptatum veritatis lumen. SADD. Cum ſit in negotio omni è duobus eligendũ id quod melius,& præſtabilius:quid mirum,ſi prælegi, & malui colla ſummittere ſynceræ fidei, me aliquando è puluere ſurrecturum conclamanti, & promittenti:quàm corde adamantino fieri, & alere diu nozium eius erroris calculum,qui promiſſum à Deo feſtiuum & plauſibile futuræ reſurrectionis beneficium prorſus exterminet. PHAR. Eſt

enim longe id optabilius, ac melius: credere ſcilicet, corpora quidem noſtra nonnunquam à Deo inſtauranda: quàm Diuinis ſanctionibus velle inſipienter obſiſtere, & in ſtimulum calcitrare. Quod tamen Sadducæi faciunt: qui corpora morte in cinerem reſoluta minime aliquando ſur rectura, nec priores animas receptura, ſibi in ſuam perniciem male perſuadent. SADD. Rurſum abs te percontabor, & adhuc id vnum. Quid ſibi vult in cantico regis Ezechiæ, quod ille valitudinarius hoc cecinit verſiculo: nó aſpiciam, inquit, hominem vltra, & habitatorem quietis. Angit enim me erga huius verſiculi intelligentiam fucus quidam, & color ſiniſtræ opinionis: ob quam non incaſſum te quidé ea quæſtione nunc pulſare volui. PHA. Ediſſere ocyus, quid dubietatis, in eo cantico te angit, ob quam prioris erroris calculus, quem iam ſalubriter vomuiſti, tuo in corde recrudeſcat. SADD. Quia lugubrem illam valitudinarii regis cantilenam exiſtimo ego ad ſolam ipſius animam pertinere: quæ iuxta verbum Eſaiæ prophetæ cernens, ſe ante tempus abiungi à dilecto ſociæ carnis thoro, nimirum fatum illud ſuum amara deplanxit. Dolens quidem & ingemiſcens, ſe non amplius redituram in carnis thecam: cum qua, vt prius, conflet totam & integram hominis ſubſtantiam. PHAR. Quid ex his tandem conaris huc inferre? SADD. Ex his quidem perſuadeo mihiipſi, regem Ezechiam, quanquam ſapientiſſimum, & ex optimis Hieroſolymitanorum regum, magnumq́; Dei amicum, nihil fortè de futuræ reſurrectionis euétu cogitaſſe: nullamq́; in ſuo ſinu repoſitam habuiſſe illius beatam ſpem. Cum tamen ſit ſimile veri de reſurrectionis beneficio, ſi promiſiſſet illud Deus, tantum Dei amicum haud fuiſſe inconſcium, propter quem Deus terrifico nimis oſtento diem

vnam inconſueta ſolis retrogradatione triplicauit:& exercitum Aſſyriorum ad centum & viginti millium hominũ Hieroſolymam obſidentium, vnius intempeſtæ noctis ſilentio, angelica manu proſtrauit. PHAR. Rex Ezechias quando id verſiculi decantauit:non aſpiciam,inquam,hominem vltra:& habitatorem quietis: cùm valitudinarius eſſet,& de imminente ante tempus ſuæ mortis fato à prophetica denunciatione repente expauiſſet, immaturamq́; mortem ſuam magno eiulatu ante Deum defleret: nimiã animi amaritudinem induerat: ideoq; animo lugubris,in id cantilenæ leuibus labiis prorupit: quam quidem ſic intellige: non quaſi præcinuerit ille, ſe quidem in æternum omni hominum viſione priuandum: ſed duntaxat ſecundum huius mundi æuum dolens ſe, quandiu ſteterit hic mundus, per immaturæ mortis periodum ſe à mortalium hominum ſodalitio in vmbras inanium fore relegandum. Eſt enim reſurrectionis beneficiũ haud huius mundi impendium,ſed venturi duntaxat ſeculi præmium. SAD. Intelligo iam quod vis. Communis enim hominum locutio id ſæpenumero præ ſe fert:vt quotiens quis vtitur,iis aduerbiis ſemper,& nunquam, quæ contraria prorſus ſunt, non eorum ſignificantiam protendi velit vſq; in æternitatem; terminorum & finium expertem:ſed duntaxat vſq; in totius huius mundi ſeculum,ſuis finibus ac metis vtrinq; ſuccinctum. PHAR. Simile profecto eſt obiectioni tuæ, id etiam quod ſcriptum audis,Spiritus vadens & non rediẽs. Vadens quidem, & emigrans à carne, iaculo mortis eam configente.Et non rediens in carnem,vſq; poſt mundi huius conſummationem,& vniuerſorum à Deo reſurrectionem. SADD.Probe & opportunè huius ſubintuliſti diuini eloquii memoriam:nam curſum de illo te interpellare ſtatueram.

m tueram.

tueram. PHAR. Quid te id eloquii adhuc anxium reddit, vt iterum de illo abs te interpeller? SADD. Quia per iſtius ſacri eloquii occaſionem accidit graue offendiculũ nonnullis, quæ de reſurrectionis bono prorſus ſecũ ignauiter deſperent. Immò verò id audaciſsimè etiam negent, dicentes: His quidẽ animabus, quæ ſemel carnis exuuias in morte liquerunt, quæ've ſuorum corporum domiciliis exceſſere, remeandi in carnem viam toto in poſterum æuo fore præcluſam: nec concedi vllam illis à Deo vim reſumendi ſemel exutum carnis tegimen. PHAR. Lapſus ſiniſtræ intelligentiæ multos eludit, & in errorum ſcopulos detrudit. Non enim iuxta immenſum totius æternitatis funiculum operæprecium eſt prædicti eloquii veritatem metiri: ſed in ſola huius mundi duratione, quæ limite cingitur vtroque: ideſt principio, & fine. Exiens enim cotidie hominis ſpiritus à carne, quandiu ſteterit hic mundus, non reuerſurus eſt in priſtinum ſuæ carnis cubile: quandoquidem haud ante huius conſummationem ſeculi reſurgent vniuerſi. SADD. Poſita eſt ergo à Deo fixa & certa reſurrectioni vniuerſorum hominum dies. PHAR. Poſita profecto eſt à Deo vniuerſis meta reſurgendi: veruntamen eius quidem metæ diem neque quiſquam hominum ſuper terram, neq; etiam angeli in cœlo nouere: vt enim obreptitio carmine dicam,

Solius eſt hæc in mente repoſta Dei.

SADD. Ediſſere, quæſo, mihi adhuc id vnum. Quæ ſit inquam iſtius dicti intelligentia. Exibit ſpiritus eius, & reuertetur in terram ſuam. PHAR. Varia quoquopacto eſt eius eloquii intelligentia. Attamen ne diffide: immò verò crede in eo latere occultã reſurrectionis fidem. Quidam enim per ſecretiſsimum eius eloquii ſenſum innui

volunt,

volunt, ſpiritum quidem hominis exiturum à carne, & rediturum in terram ſuam, id eſt in cœleſtem thalamũ, tanquam in ſuæ originis locum. E cœleſtis quippe regionis altitudine animas in carnem aduentare olim nonnulli confinxere: quas quidem tranſacto terrenæ peregrinationis tempore in cœleſtes accubitus remeare tradiderunt. Alii verò id eloquium aliter exponere præſumũt, dicentes: Exibit, inquam, ſpiritus eius à carne, & reuertetur in terram ſuam: ideſt, in ſociæ carnis oram. Caro enim nil aliud, quàm terræ glebula eſt, & de limo terræ confecta. Cum tamen ſpiritui, à quo vitam omnẽ vireſq; caro emutuat, tribuenda ſit non terrena, ſed cœleſtis origo. SAD. Belliſsime iam hæc me habent, mirificeq; meæ menti quadrant quæcunq; recitata hic ſunt ſancti Pſalmographi eloquia: vt ex iis indubitatam venturæ reſurrectionis fidem mihimetipſi eliciam, dubietateſq; & anxietates animi omnes prorſus à meipſo excutiam. PHAR. Sufficiunt iámne tibi tantula, quæ in hanc allata fuere palæſtram, ſacrorum eloquiorum teſtimonia: vt per hæc, excuſſa abs te omnis reſurrectionis venturæ dubietate, aut eius abnegatione, induas ſtabilem fidei illius firmitatẽ? SAD. Sufficiunt profectò, & quidem abundè. Fui autem hactenus tibi plurima ſciſcitando, ideo importunus: quia belle noſti, diſcipulum quemlibet ſaltem generoſi animi, eo incaleſcere deſiderio: vt quanto quidem didicerit plura, tanto rurſum concupiſcat ſcire ampliora. Suum etenim ſcire ſatis eſt nemini. PHAR. Cur quæſo aduerſum me hæc iterum infers? SAD. Quia eam ab initio perpetiebar auidæ mentis orexim, deſyderiũq; ſciendi, vt inſatiabili adurerer ſiti priſtinæ ignorantiæ à me ocyus depellendæ. Et quãquam doctrinæ tuæ ſplendor mihi deſideratam venturæ reſurrectionis pepe-

rerit fidem,ac certitudinem:adhuc tamen ſiti langueo, nec plenè exſatior. PHAR. Qua ſiti adhuc langues? SAD. Cupio ego magnopere audire deinceps etiam aliquam reſurrectionis venturæ rationem, patulamq́; tantæ rei capeſſere intelligentiam. PHAR. Nónne dixi iam tibi multotiens, me quidem philoſophici luminis fore expertem:nec poſſe in officio adhibendæ rationis vllas tuæ ignorantiæ afferre ſuppetias. Proinde ſi adhuc excruciere generoſa illa ſiti:& auiditate audiundæ rationis, ad noſcenda futuræ reſurrectionis myſteria pertinentis: adeunda tibi protinus ſunt limina viri cuiuſpiam philoſophiæ periti, cuius doctrina tuæ fami ac ſiti medeatur. SADD. Arduus erit mihi labor nullus, modò tandem voti ac deſiderii mei compos fiam. Impigre enim,quocunq; me ire iuſſeris:proficiſcar. Spes ſiquidem & fiducia, nanciſcendæ rationis omnem cuiuſcunq; laboris laſsitudinem ampliter compenſabit. PHAR. Ne deſideria ergo tua in longum protende: quin ocyus ad virum,quem adire cupis excurre.SADD. Excurram quidem citius ad illum. Sed tu quæſo, mei comes itineris eſto: vt enim verba cecinere Samuelis: Reſpiciet, vt ſpero, viam Deus noſtram. Nec nos iſtuc tandem remeare volentes deſiderata, & exoptata rationis luce, vacuos redire patietur.PHAR.Adero;vt voles,fidus itineris tui comes. Nam & pari deſiderio ac ſiti tecum langueo,vt reſurrectionis veritatem etiam in luce rationis agnoſcam:quam dudum ſola fide diuinarum ſcripturarum, & autoritate prophetarum edidici.SADD.Solidius nempe eſt, atq; profundius fœcundum rationis pabulum, ſimplici ac præuia obſtetricatione fidei.PHAR. Adiectum lumen lumini,gignit lumen longe illuſtrius atq; ſplendidius.Perinde etiam atq; vni cuipiá bono alterius boni cumulatio & aggeſtio

aliud

aliud bonum conflat, priore bono longe præſtantius, atq; inſignius. SADD. Proficiſcamur ergo ocyus hinc in forū, vel in qualecunq; doctorum virorū conuenticulum: vt ſi forte philoſophum quempiam ſors nobis obuiam dederit, emendicemus ab illo deſideratæ rationis pharmacū: quod nobis ea in re languentibus vtile ſit,& bene proſit.PHAR. Pergamus vt iubes. Nam in cuiuſcūq; neceſſarii boni adſecutione paratis differre,& ſegnes horarum moras interponere, nunquam profuit:immò potius nocuit.SAD.Sicut enim ſitiens ceruus ad fontes aquarum protinus excurrit, nec moras interponit:ita me generoſa ſiti ampliora ſciendi languentem,excurrere abſq; mora decet ad nitidum ali quem & vberem ſapientiæ fontem. PHAR. Cùm hic non ſtemus in terra deſerta,arida,& inaquoſa:ſed in terra vbere,fœcunda, & aquis irrigua: pergentibus nobis occurret citius aliquis ſapiētiæ fons,aut inſigne flumen,ex quo quidem ſiticuloſa nos proluere liceat guttura.SAD.Niſi vel lippiunt,vel alioqui non bene mihi incolumes ſunt oculi, lupus(vt publicum vulgi canit prouerbium) in fabula eſt,& parietes habent aures. PHAR.Quamobrem? SADD. Quia niſi à caligantibus oculis halluciner,ecce non procul à nobis prætereuntem virum intueor, de habitu, de facie, deq; ſpectabili morum grauitate philoſophum, qui etiam nos forte ambos, de ſeipſo, preſsis ſub labiis, verba facientes audiuit.PHAR. Vt verbis patris noſtri Iacob vtar, voluntatis,non dubium eſt,Dei fuit,vt cito fera nobis quā quærebamus occurreret.Adeamus ergo protinus illū:nec præſtolemur alium. Fruſtra enim(quod aiunt) diſquirit quis peregrè, quod illi vix limen ſuæ domus egreſſo vicinum ſit,& primo pede obuium. SADD. Si, vt Salomoni placet, in vultu ſapientis,ſapientia lucet: & potentiſsimus eius fa-

ciem commutat:profectò viri iſtius,qui obuiam nobis venit,habitus vultusq́;,virum redolet virtute inſignem, moribus probum,ſapientia illuſtrem. PHAR. Impertita ergo illi ſalute, ſciſcitemur vna ambo, ſi quid aliquando de corporum reſurrectione per adeptum philoſophiæ lumē illius olfecerit animus. SA. Sciſcitemur vt iubes:veruntamen tuæ incumbit viciſsitudini,vt tu quidē primus illum adoriare, exerceasq́; benignum præuiæ ſalutationis officiū.Silere etenim, ac premere labia iure me decuerit:vt qui ſub ferula hactenus tua docilis diſcipuli officio functus ſim. Tu verò docentis & peritiſsimi didaſcali geſſeris erga me vicem. PHAR. Quandoquidem id abs te mihi impenditur honoris:non abnuo, quin votis mox tuis me conſentaneum præbens,virum quem iubes, benigna ſalutis impartitione libentiſsimus adoriar. Tu quoque mihi comes & conſalutator adeſto.

*

Primi de reſurrectione dialogi

FINIS.

DIALOGVS DE RESVRRECTIONE SECVNDVS.

HActenus de reſurrectionis fide inter Phariſæum & Sadducæum prorogatus ſit ſermo. Nunc de diſquirenda reſurrectionis ratione, quam Phariſæus & Sadducæus ſint à Philoſopho audituri.

Salutat Phariſæus Philoſophum ante rei gerendæ initium.

PHARISAEVS.

SALVE ô nitidum ſapientiæ ſpeculum: ſecundet, oro, tua vota deus, ô excolende totius philoſophiæ aper. PHILOSOPHVS. Saluete & vos, ô viri inſignes, & virtute præclari. Necnon vt video mites ac prædociles Mineruæ alumni. Cur me quæſo, hac via prætereuntem: tam grata & beniuola ſalute impartimini? PHA. Non abs re te feſtiua Dei prouidentia obuiũ nobis dedit. PHIL. Ad quid rei me negotiis vrgentibus in forũ euntẽ Deus, vt vobis feſtiuiter occurrerẽ, prouidit? PHA. Audi obſecro: legitimã enim eius rei cauſam minime conticeſcã. Ego quidẽ cumprimis, & is etiã, quẽ mecũ vides, mei deſiderii ac voti collega, ad te iſtuc acceſsimus. Nõ ſanè eſcã, nõ nũmos, nõ aliud id genus vtiliũ aut deſiderabiliũ bonorũ petituri. Sed ſciſcitaturi ex te nonnulla animi dubia: quæ vbi nobis ſitientibus exolueris: magna nos, vacillantis noſtræ mentis anxietate liberabis. PHIL. Cùm, vt video, ex gente ſitis

& proſapia Hebræorum:miror ad me,vos(quippe diuerſæ religionis viros) proficiſci voluiſſe, vt in nonnullis animi veſtri dubietatibus poſtuler,& interpeller. PHAR. Quamobrem iſtud miraculo, cuidamq; inſuetæ nouitati adſcribis?Nam ſicut peculiare eſt ceruorum,vt ſitientes & aridi, confeſtim abſq; delectu vllo ad fontes aquarum decurrát: ita & viri rerum imperiti, menteq; vacui, adire protinus eos ſolent,quos aut ſuſpicantur, aut ſibi ſuadent, occultas noſſe rerum cauſas:vt ab eis ſingula, quæ ſcire expedit,ſciſcitentur. PHIL. Ideo me de vobis ammirari non tacui. Quia cùm gens Hebræorum, Idolorum contemptrix, vniusq; tantum Dei cultrix,ſe in orbe terrarum ſapientiſſimam conclamet:hæc cæteras omnes mundi nationes vili,& minimi habet:easq;, vt aliquid ſciſcitetur, aut roget, adire dedignatur:vtpotè quas, quia ab idolorum cultu excæcatas, & nullius rei gnaras ſibiipſi perſuadet, ab earum conſortio abſtinet. PHAR. Quanquam diſparitas religionum gentem Hebræorum à cæterarum nationum contubernio lata macerie diſcluſerit:non tamen ignoramus,Socratem,Platonem, Ariſtotelē, cæteris vixiſſe longe moribus diſpares,& ſynceritate vitæ abſimiles.Hæc enim prærupta,& famoſiſſima mundialis philoſophiæ emporia, licet vulgo in ritu,& ſuperſtitione gentiliū viuere crederentur:vt qui de citeriore faciei aſpectu gregariis vulgi turbis conſentaneos ſe præberent: morum tamen ſublimitate,& mentis altitudine cæteris emicuerunt: vt qui cùm in latiſſimo iſtius mundi pelago felicioribus remigiis nauigarēt: ſuæ ſapientiæ & religionis anchoram à nephanda Deorū multitudine in ſecretiſsimum vnius ſummi Entis, omniū conditoris,cultum tranſtulerunt.Nam eum,quem nos Hebraico ritu,deq; patrum noſtrorum conſuetudine, verum

& vnic

& vnicum totius mundi Deum nuncupamus, & colimus: hi vt rerum omnium, tam inuiſibilium, quàm viſibilium conditorem venerati ſunt:ideoq; nimirum per ſapientiam ſuam factitios aſpernati vulgarium & gregariorum hominum Deos:Deum tantũ vnum, ſub nomine Entis entium, ſecretiſsimo cordis ſilentio accuratiſsimè celebrarunt, & coluerunt. PHIL.Cùm ab ineunte ætate naturali philoſophiæ potius quàm alii vlli ſtudio operã nauare maluerim: non paucos ea de re antiquorum philoſophorum libros euoluere mirum in modum me iuuit. In quibus cùm obſcuriſsimæ interim diuerſarum opinionum ſyluæ mihi occurrerent:eas quidem,velut peregrinus,& perfunctorius lector, obiter colluſtraui. Tandemq; eas faſtidiens, terga eis dedi.Malui enim certiora ſequi ſenſa ſapientum,quàm dilancinari diu à ſentibus & ſpinis opinionum:& quidem à veritate exorbitantium.PHAR.Nimirum id quidem tibi bene ceſsit,ac profuit.PHIL.Quis enim niſi vecors,& mentis expers,in indaganda rerum omnium origine, non illico monadem multitudini antetulerit? PHAR. Vt reor nemo. In portum igitur felicem, nauclero non dubium eſt, remigeq; Deo,fluctuantis nauiculæ noſtræ proram impegimus: qui te quidem offendimus virum,votis haudquaquam noſtris diſparem: nempe tantum vnius Dei cultorem:& præcipuo quoq; religionis apice nihilo à nobis diſſentaneum, aut diſcordem. PHIL.Sed iam geſtio cauſam audire,quæ vos huc vſq; ad me illexerit. PHAR. Ideo hîc tibi adſtamus ambo: quia melius, feliciusq; te noſtris adfuturum deſideriis confidimus: quàm queat id quiſquam alter. Sciſcitaturi enim ex teipſo ſumus nonnihil, quod nos angit.Quod quidem,quanquam à præcoci, & præuia ſimpliciſsimæ fidei obſtetricatione,ideſt, ab autoritate di-

uinorum eloquiorum didicerimus:illuſtriorem tamen rationis ſplendorem à gurgite ſapiētiæ tuæ efflagitaturi huc venimus. PHIL. Parœmia eſt veterum ſapientum,rationē quidem nec vſquam aduerſari,nec obeſſe fidei : immò eidem prodeſſe non minime : & ſolidum afferre iuuamen. Cùm enim olim cenſuerint philoſophi , rationis culmen eſſe velut præuiæ fidei apicem & culmen : hi fidem dixere præuium quendam fore rationis arrabonem.Quapropter quondam intra limina academiæ ſuæ diſcipulum admittere ſolebant prorſus neminem,niſi qui ſe miti ceruice exhiberet non pertinacem, ſed docilem,credulum, & fidelē. PHAR. Certiores quidem iam ambo euaſimus de rationalium animarum immortalitate : quam etiam diffitebitur vir cōpos ſanæ mentis nemo. At longe ſubobſcuriorē & ſcitu plus arduam corporum reſurrectionē,quam etiam plurimi ſapientum inficiantur, haud aliter, quàm ope obſtetricantis fidei , & autoritate ſcripturarum perſuaſam habemus. Poſtulamus igitur , vt ſi quid de illa, quæ tam multis olim incredibilis fuit , per medium rationis , & ex ſyncero philoſophiæ lumine, comparatum ſit tibi, id nobis auidè ſitiētibus quoquo pacto impartiare. SADD. Cùm ego quidem ante hos annos iuxta morem Sadducæorum, in quibus natus ſum, nihil minus mecum cogitarem , aut crederem , quàm de reſurrectione mortuorum : ad hunc cumprimis Phariſæum, ea de re certior euaſurus , acceſsi. Hic verò ſic hactenus mecum per ſcripturas egit: vt mihi nimis anxio , & in diuerſa animo collabenti incuſſerit deſideratæ rei certitudinem, & fidem. Tu igitur , quæſo , cœpta proſequere : & poſt adeptam reſurrectionis fidem nos ad illius ſcientiam dignis gradibus extolle. Nobis enim ad id rei piè anhelantibus peramplius

medeb

medeberis,vbi exoptatum rationis adhibueris pharmacũ. PHIL. Memorantur olim plures de immutabili animarũ æuo,& immortali beatitudine, per ſyncerum philoſophiæ lumen certiores euaſiſſe: quam potuerint vllam de futura corporum reſurrectione ſcientiam nanciſci. SAD. Nimirum id ignorantiæ permultis accidit. Reſurrectio quippe mortuorum ſubobſcurior quidẽ eſt,& inſuetior: minusq; cauſæ præ ſe videtur habere, quàm immortalitas animarum,quæ longe illuſtrior ſplendet,& pluſculum rationis ac luminis obtinet. PHAR. Ideo enim non huius, ſed illius duntaxat rationem & ſcientiæ lumen à philoſopho audituri, pronas illi aures ſubmittemus. PHIL. Quidam nomine Athenagoras philoſophus, olim inter Græcorum ſapientes non obſcuri nominis vir, egregium quondam de reſurrectione edidit opuſculum. Id priuſquã in meas manus incidiſſet,in claſſe communis ignorantiæ cum eius rei incredulis nauigabam. Nam mihi de corporum reſurrectione compertum nihil extiterat. Vbi autem illud paulo oculatius & ſedentaria mentis meditatione ad calcem percurri,illico noxium erroris calculum euomui. Ab illuſtriſſima enim rationis lampade id tandem ſe mihi luminis infudit, quo præſentanea animarum à corporibus exilia, carúmve à ſocia carne diuortia, edidici non fore perẽnia. Immò verò eas nonnunquam in ſuorum corporum clauſtra à Deo inſtaurata reuocandas. Id enim certiſsimè, & in præfulgidæ rationis lumine deprehendi. SADD. Eia igitur, ô inclytum ſapientiæ emporium, hactenus nobis adeſto. Eſuriens quippe ac ieiunus amborum noſtrum venter moras non tolerat. Tu exoptatam ocyus offer alimoniam: dederisq; operam, vt fulgor eius rationis, quæ te priorem imbuit,nobis quoq; illuceat:& beatam hanc,quam ſummi

Dei beneficio venturam præſtolamur, reſurrectionis ſpem nobis dilucidè conflet. PHIL. Quia tantis precibus veſtris obnoxius vtcunq; vobis fio, indignum eſt triſtem vos à me audire repulſam. attēdite igitur, adhibeteq; parumper aures ad ea, quæ vobis pro virili mea nitar exoluere. PHA. Attendemus profecto: aureſq; nimis ad audiendum procliues tibi ſummittemus. PHIL. Noſtíne, ô Phariſæe, rationales animas, tanquam cæteris præſtantiores, geminis eſſe viribus, & agendi facultatibus inſignes? PHAR. Noui quidem iſtud: Cùm olim didicerím, homini ſuper cunctorum genera animantium haud alioqui, quàm ob rationalis animæ dignitatem, principatū à Deo fuiſſe conceſſum. PHIL. Si id didiceris, eſſe ſcilicet geminas rationalium animarum vires: etiam vtiq; reor te non neſcire, longe potiſſimam, & præcipuam iſtiuſmodi virium eam eſſe, qua animæ ſecum in ſublimi mentis arce congredientes aguntur in gyrum, torquentúrve in circulum: in quo quidem illæ arcana & ſupramundana quadam actione pollent, quam philoſophi apto & congruo nomine Endelechiam vocant. Actionem quidem, vt corporeæ opis neſciam, nec materialium organorum indigam: ita & iugem prorſus, atq; perennem: nec vſquam fato inimicæ mortis obnoxiā. PHAR. Id quoq; me aliquando didiciſſe, ſat bene memini. Hanc enim potiſsimam & præcellentem rationalium animarum actionem, animas in gyrum cientem, nec vſquam extra earum viſcera foras prodeuntem, hi qui eam nouerunt, cæteris animarum officiis ideo anteponunt, quia per ſolam illius commoditatem aiunt licere vnicuiq; ſuffícientiſsimum colligere de animarum immortalitate argumentum. PHIL. Nuſquam ſanè aliter, quàm per eiuſmodi præcipuam rationalium animarum vim, patefit vllis via

indagandi & aſſeuerandi eas fore perennes. Ab actione quippe iugi, ac ſtabili, quæ infeſtum mortis iaculum non timet, omnem mundi ſubſtantiam,tali actione ſe mouentem,iure cenſemus fore immortalem. Nihil enim eſt cauſæ,vt anima, quæ detrudi nequit in otium, nec pati interpolationem aut vacationem naturalium actionum, eat in mortis interitum,aut cadat in nihilum. PHAR. Irrationales animæ, quibus dignitas endelechiæ non adeſt,poſt abiunctionem ſui à corpore, nónne prorſus intereunt, & in nihilum pergunt? PHIL. Intereunt prorſus.Nã nihil aliud animabus immortalitatẽ confert,quàm felix illa actio endelechiæ. Quæ quia animas poſt corporis exceſſum non ſinit ocioſas:ideo illas arguit,ſicut eius actionis vigore perennes:ita & ſubſtantia eiuſdem actionis ſuſceptrice perennes. PHAR. Eſt igitur in omni rerum genere eadem omnino ſtatera ſubſtantiæ & actionis. PHIL. Eadem prorſus. Omnem enim ſubſtantiam,quæ iugi actione pollet,dic & aſſeuera fore immortalem. Et ediuerſo, eam quoq; omnẽ, cui tam ſublime endelechiæ donum deeſt, dic fore euanidam,& morti obnoxiam. PHAR. Satis iam mihi perſpecta eſt cauſa immortalitatis rationalium animarum:vt pote ab iugi earum actione,quam vocas endelechiam,proficiſcens. Nunc verò his ſeorſum omiſsis, vltra pergamus. Geſtio enim audire,an etiam per habitum iſtiuſmodi endelechiæ venaberis rationem & cauſam futuræ inſtaurationis corporum, & iteratum cum eis priſcarum animarum coniugium. PHIL. Minime id licet. Antiqui enim philoſophi de præclara iſtiuſmodi rationalium animarũ endelechia, orbicularíve earum cõgyratione, bene conſcii ac certiores euaſere.Qui tamen futuram corporum reſurrectionem non ſolùm non nouere,immò verò ſuperfluam.

illam, & prorſus ridiculam arbitrati: nullam omnino fidem doctis eam commemorantibus præſtare voluerunt. PHAR. Nihil ergo aliud per clariſsimam endelechiæ dotem nobis conflabimus, quàm rationalium animarum, perenni illa actione in ſeipſis fruẽtium, immortalitaté. PHIL. Aliud conficies prorſus nihil. Quandoquidem per endelechiam, qua animæ ſuis in præcordiis aguntur in orbem, ſuperfluit animabus perfunctorium corporis obſequium. Animam quippe rationalem, ſupercœleſtium entium meditatione pollentem, & intra ſuaipſius viſcera immateriali & inteſtina actione ſe in circulum cientem, ipſa quidem lutea corporis appendix hactenus nil iuuat: immò potius illi obeſt, quàm prodeſt. PHAR. Ergo non ritè quiſpiam per endelechiam (quippe corporei obſequii nil indigam) confecerit neceſſarium venturæ reſurrectionis argumentum. PHIL. Non profectò. PHAR. Quibus ergo mediis, ſeu qua præſertim animarum virtute rationem venturæ reſurrectionis conficies? PHIL. Diſtingue doctrinæ gratia rationalium animarũ vires inſtar ſolis & lunæ. Sicut enim in mundo duo ſunt luminaria magna, diei noctiq; viciſſim à Deo præfecta: ita dic rationales animas, velut maiori mundo pares, gemina in ſeipſis geſtare luminaria admodum inſignia, ſolem & lunam. PHAR. Ediſſere igitur, quæ ſint hæc publica & myſtica rationalium animarum luminaria. PHIL. Solem quidem animarum voco abſolutiſsimam earum endelechiam, quæ in inuio earum thalamo præeſt diei. Lunam verò eorum voco inferiorem omnem agendi facultatem, qua animæ in lineæ rectæ veſtigio ſubiectis corporibus commiſcentur: abſq; quorum obſequio nihil hactenus illæ agunt. PHAR. Quopacto hæc ſpecioſa virium diſtinctio mihi eam, quam tantopere nanciſci

ciſci cupio, venturæ reſurrectionis rationem conflabit? Id enim nondum intelligere ſufficio. PHIL. Nónne ſol in cœleſti mundo ſicut altior lunæ globo, ita & multo illuſtrior, & ſine itidem macula: vt qui nitidam ſynceræ ſuæ faciei lampadem interdiu mortalium oculis oſtendit: Luna auté ſicut inferior ſole, ita & vmbratili, ac maculoſa facie? PHAR. Hæc vt ais, ita ſeſe vt video habent. Sed quidnam, quæſo te, per hæc ignota mihi ænigmata conaris inferre? PHIL. Id quidem attende quod volo. Quoniam, inquam, ſuprema & potiſsima agendi animarum vis, quam & ſoli, & circulo ſimilem feci, cùm præſit diei, ideſt cœleſtiũ contemplationi, maculam in ſe habet nullam: quia corporei obſequii indiga non eſt. At verò ſecũdæ, inferioréſve animarum vires, quas dixi & Lunæ, & rectæ lineæ reſpondere, ſunt ad inſtar Lunæ pulla & maculoſa facie. Quia abſq; corporis famulitio: agere queunt prorſus nihil. Corporis enim commixtio nubilam illis maculam infert. PHAR. Ex his ergo ocyus confice rationem reſurrectionis venturæ. PHIL. Sicut à ſole animarum, ideſt, ab earum endelechia, & ab immateriali agendi vi, quæ præeſt diei, iam didiciſti earum venerari immortalitatem: ita ab earum Luna, ideſt ab inferiore earum agendi virtute, quæ nocti, ideſt corpori præeſt, deſume tibi fidum, futuræ reſurrectionis ratiocinium. PHAR. Nondum eius ratiocinii neceſsitudinem ſatis exploratam habeo. PHIL. Audiſtíne aliquando à publico philoſophiæ prouerbio, hunc profectò mundum nihil vſquam alere ocioſum: quod quidem ab omni ſit actione ſuſpenſum, inérſve, & vacuum? PHAR. Audiui: & quidem ſæpenumero. Nam quicquid degit in ambitu mundi, operæpretium eſt, vt id vel mox tollatur è medio, vel aliquo fungatur officio. PHIL. Cùm rationales animæ, vbi à the-

ca cor

ca corporis demigrant,nullam prorſus ſuarum virium iacturam perpeti queant: nónne perſeuerant in earum finibus ambæ iſtiuſmodi,quas dixi,facultates agendi:quas ſcilicet hinc ſoli & lunæ,hinc verò circulo & rectæ lineæ conſimiles feci? PHAR. Quid ad hæc ſim reſponſurus, nondū mihi bene conſcius ſum. PHIL. Cùm didiceris,rationales animas fore ſuapte ſubſtantia perennes, nec morti vlli aut interitui obnoxias: ita demum crede, nullum prorſus eas in mortis agone perpeti poſſe ſuarum virium detrimentū. Perſeuerant enim in eis vtraq; inſignia earum luminaria ſol & luna:ideſt,vtræq; earum agendi facultates. Quando quidem per effractum à morte corporis coniugium inferior agendi animarum vis vertatur in otium, patiaturq́; interim per corporeorum organorum abſentiam ſilentiū, & interpolationem ſuarum actionum. PHAR. Hæc nondum ſatis mihi pellucent. PHIL. Intellige ergo ac diſce ea ab ſequentis exempli ſimilitudine. Si quis enim citharam à citharœdo ſuſtulerit, eamq́; confregerit: nónne nihilominus ars citharizandi in mente citharœdi ſalua perſeuerabit:quamuis abſente cithara ars illa prorſus conticeſcet, & ocioſa aliquandiu manebit? PHAR. Manebit ocioſa prorſus.Sed eſto iam, vt nequaquam ipſe diffitear:vtraſq; animarum vires, quæ ſunt gemina earum luminaria,poſt corporis abiunctionem manere in ea ſuperſtites: quid tamen inde conflaturus ſis, geſtio audire. PHIL. Neceſſariá ex his conflabo corporum inſtaurationem:& iterata eorū cum priſcis animabus coniugia. PHAR. Quamobrem id? PHIL. Ne ſcilicet ſecundæ animarum vires,quas iam conſeſſus es fore immortales,perſeuerent in futuro ſeculo irritæ,inertéſve, & prorſus otioſæ. Quippe quas per corporis abſentiam ſuis organis ſpoliatas confiteberis poſſe agere

prorſus

prorſus nihil. PHAR. Qualiter hæ ideo nihil agent, vix dũ id video. PHIL. Quia ſicut didiciſti nobilẽ illam animarum endelechiam corporeorum non eſſe indigam organorum (quippe quæ iugiter abſq; vllo corporis officio ſe mouet) ita tibi perſuade, ſecundis animarum viribus conceſſum non eſſe, vt abſq; corporis adminiculo queant agere quicquam. Hæ ſiquidem vires dum ad inferiora ſe voluunt, in inuiſibili animæ gremio prorſus nil agunt. PHA. Nunquid ſecundæ illæ animarum vires ſitæ ſunt & ſubſiſtunt in anima? PHIL. Sunt quidem illæ, & degunt in immateriali ſinu animarum. Veruntamen earũ actio ab ſublimi animæ fonte emergẽs nequaquã ſiſtitur in anima, ſed in ima corporis tendit decliuia: nec alii vſquam rei, quàm ſolius corporis cuſtodiæ ac tutelæ inſeruit. PHAR. Ergo ſecundæ illæ animarum vires, cuiuſmodi ſunt ſenſitiuæ, vitalesq; potentiæ abſq; corporei organi adſiſtentia prorſus obtorpẽt, manentq; viduæ, caſſæ, & otioſæ. PHIL. Prorſus otioſæ ſilent. Quamobrem operæpreciũ eſt, illas (quod abſit) poſt corporis exceſſum vel ire in nihilum, & prorſus interire: vel ſua tandem organa per corporis inſtaurationem eis reſtitui, vt ſuis iterum fungantur officiis. Nam iam apud te prædixi, quoniam mundus rem otioſam alit fouetq; prorſus nullam: Nec ergo fieri poteſt, vt aliquid caſſum, & ſpoliatum omni actione, ſit in negotioſa mundi aula inter tot entium genera ſtabile & perenne. PHA. Affer, obſecro, vel vnum iterum aliquod eius rei exemplum. PHIL. Vim & potentiam videndi, quæ in anima, etiam à corpore diſſociata, perpẽs manet: nónne cenſueris abſque oculorum iuuamine otioſam fore, & obtorpere? PHA. Ita prorſus. PHIL. Quamobrem opus eſt, animam cui vis illa firmiſsimè inhæret, aut quod abſit interire: aut tandem

oculorum vſum ei facultati reſtitui, vt rurſum ipſa priſco videndi fungatur officio. PHAR. Hæc eo prorſus modo ſe habere iudico. PHIL. Vtere igitur eo quod tibi confeci ratiocinio, vt futuræ reſurrectionis myſteriũ quoquo pacto à philoſophica, qualem poſtulaſti, ratione tibi diluceſcat. PHAR. Perge iam, & expone illud paulo euidentius. PHIL. Qua quidem lege iam me de organo viſiuæ virtutis, ideſt de oculis, differentem audiſti: id pari analogia de totius corporis mole dictum intellige. Cùm enim ſæua, & inimica mortis manus diremit ab animæ coniugio vtilem & obſequioſam corporis appendicẽ, cum qua & cuncta corporis organa animam linquunt, ac deſerunt: dico tum neceſſarium fore, animam (quippe in ſecundis agendi viribus) ab organi orbitate, viduatam, torpentem, otioſam aut confeſtim tolli è medio: aut aliquando illi, dirutum corporis tabernaculum, & adminiculum priorum organorum reſtitui. SADD. Cur id neceſſe fuerit, ediſſere parumper iterum cauſam. PHIL. Id quidem ideo neceſſarium fore contendo: ne ſcilicet in ſinu animæ ſuperſit quid iuge, & perenne, quod tamen ſtet otioſum, ſegnéve, & prorſus inane: quippe obtorpens, & nihil agens. Confitentur enim philoſophi omnes, dantq; candidum ei opinioni calculum, nullam prorſus animæ virtutem & agendi facultatem non eſſe immortalem. PHAR. Ab hac ergo diſtinctione virium, & agendi facultatum, quam in anima, inſtar geminorum & inſignium mundi luminarium, faciundam docuiſti: cenſes iuſtam ac ſufficientem cauſam deduci oportere duorum quorundam in anima bonorum aſſertricem: tam inquam immortalitatis earũ, quàm ſubſequentem & aſſeclam corporum reſurrectionem. PHIL. Id nimirum volo & percenſeo. Ad nanciſcendam ſiquidem

dem vtriuſq; boni notitiam: nulla crede propior ſemita eſt, nullúſve certior occurrit callis eo, quem te docui, & quem, ab initio noſtræ collocutionis non ſilui. cùm dixi, Eum quidem virum, qui ſolas diſtinguere nouerit animarum vires, clariſsimæ tandem rationis gemmam ſibiipſi conflaturum, cuius fulgore videat, & certius agnoſcat, animarum cumprimis immortalitatem. Et exinde ipſa etiam corporum obſequioſa viribus animæ membra, licet mortis manu ſoluta, tandé illi ab autore Deo inſtauranda. PHA. Iamiam grauiſsimum prioris ignorantiæ ſomnum à meipſo excutere incipio: & ad rutilã tuæ iſtius eruditionis faculam, velut imminente matutina diei aurora, cilia ſoluo, & expergeſio. SAD. Mihi quoq; iſtud idem accidit. Nam non iam, vt prius, mei in tenebris oculi conniuent. Quandoquidem ex his, quæ à Philoſopho tecum differente edidici, præſto eſt mihi, & in propatulo, ea ratio & cauſa, propter quam iudicem, & aſſeuerem, hæc duo, animas ſcilicet à Parcarum fato & à mortis formidine fore prorſus immunes: Et cur demum ſit illis etiam à Deo reſtituenda ſuorũ corporum & organorum appendix. PHI. Diuerſæ quippe animarum vires, quarum perlucida coram vobis diſcerniculà explicui, in ipſa ſemper virente, & nunquam emoriente animarum arbuſcula, nimirum diuerſorum promunt atq; eliciunt florum fructuumq; cauſam. Prima ſiquidem & altiſsima animarum agendi facultas, cùm ſemper ſe moueat, & cùm inſtar ſolis nunquam ſua ipſius luce ſpolietur: inſuper in arcano animæ ſinu degens, illuſtrem animam voluat, congyrétve in circulum, nec ſit indiga vllius corporei obſequii: non abs re docet, Animam fore ſtabilem, nunquámve in nihilum ituram. Secunda porrò animarum agendi facultas, quam maculoſæ lunæ, interdum

omni luce carenti, parem & conſimilem feci: cùm negatum ſit illi, intra animæ viſcera agere quicquam: cùm & actionem habeat nullã, niſi forinſecam, & corporei organi indigã, ideoq; non iugem, non perennẽ: verùm à morte corpus abiungente interpolabilem: hæc illico cauſam atq; rationem nobis ſubinfert: cur tandem in priſcas ſuorum corporũ manſiones animæ ſint Dei miſeratione aliquando reuocandæ. SADD. Quæcunq; hactenus cum Phariſæo egeris, vigili mente exaudiui, tuiſq; dictis protinus & pronus aſſentior. Verumtamẽ vna adhuc dubietate moueor, quæ plurimum me angit. PHIL. Aperi ocyus, quæ te adhuc dubietas angat. SADD. Cùm ab ipſius animæ vnione atque coniugio corpus morte abiungitur, quid ſi forte deperiret, ac periclitaretur ſecunda iſta agendi animæ facultas, quam dixiſti impotem agẽdi, niſi in corporeorum organorum ſuppetiis: tum eo in caſu, quid de corporum reſurrectione ſentiendũ faterere? PHIL. Audiſtíne aliquando publicam philoſophorum parœmiam, quæ in eorum ſchola conclangit, Per exterminium cauſarum periclitari illico & effectus earum? SADD. Audiui, & benè memini. PHIL. Quamobrem ſi tu quidem ipſe imaginaberis (quod tamẽ fieri vſquam nequit) ſecundam agendi animarum vim in morte interire, nec ſaluam in inuiſibili animæ ſinu ſupereſſe: nihil demum in anima reſiduum tibi fiet, quod te quidem ſingula auidè diſquirentem iuuet: ideſt, quod eam, quam tantopere ſcire efflagitaſti, venturæ reſurrectionis rationem conflet: ſeu per quod de corporum reſurrectione quicquam omnino in poſterum quis ſperet. SADD. Quamobrẽ id ita euenire oportuerit? PHIL. Quia quiſquis (vt iam ſemel audiſti) ſuſtulerit dignitates, & præmiſſiones cauſarum: hic nullam omnino poſt ſe relinquit


occa

occaſionem ſperandorum effectuum. SADD. Produco coram te, cauſa euidentioris doctrinæ, animam leonis aut cũ iuſuis alterius animantis: ſciſcitorq́; abs te, cur irrationales, & rationis expertes animæ, nullam futuræ reſurrectionis habent ſpem? cùm tamen non ſint expertes, immò polleant ſecunda iſtiuſmodi agendi facultate, & virtute: quæ cum in ipſo animæ gremio agere queat prorſus nihil, in ſolius corporis appẽdice nata eſt ſe mouere, & omnia agere. Non enim alioquin, quàm per eiuſcemodi ſecundam agendi facultatem, dixiſti, veſtigandam fore, ſciri item poſſe, & argui à nobis debere, eam de qua agimus futurã in nobis corporum reſurrectionem. PHIL. Quia anima leonis immortalis non eſt. Nullius enim bruti animantis anima pollet ſuprema vi intelligentiæ, per quã quidem ſolam (vt pote in ſeipſa agendi potentem, & ſublimi endelechiæ dote cæteris feliciorem) de perenni ſtatu animarum certiſsimum nos colligere deceat argumẽtum. Tolle enim ab anima præſtantiſsimum immortalitatis donum: tollis illico & ab ea, ac prorſus perimis, beatam ſpem reſurrectionis corporum. SADD. Iam intelligo quorſum hæc, & quid per ea niteris moliri. PHIL. Quis enim, eas quidem animas, quæ vbi per mortem à corporeis nexibus, ac vinculis diſſociantur, non manent: ſed illico ac momento in nihilum velut leuis fumus diſparent, aliquando in ſua reuocandas corpora dicere audebit? SADD. Nulli igitur animæ debetur in poſterum ſui corporis inſtauratio: niſi perenni, ſtabili, & penitus immortali. PHIL. Nulli prorſus alii. Nã hæ, quæ morte interierunt animæ, & quæ iam amplius non ſunt, ſuorum inſtauratione corporum non egent. PHAR. Nemo eſt vt reor, qui ad verba præcellentis doctrinæ tuæ propẽſiſsimas aures illico nõ ſubmittat: & qui hæc omnia,

quæ noſtris auribus ex ore tuo inſonuerunt,ita illico ſe habere non iudicet.Supereſt igitur poſt hæc iam apud me nihil, in quo aut denuo tibi moleſtus ſim : aut in quo querar, me velut adhuc animo anxium, & ancipitem ſtare in biuio priſtinæ ignorantiæ. Nam de re prius nimis obſcura ac dubia,breui tui ſermonis compendio iam certior, & bene mei compos euaſi. PHIL. Vis priuſquam hinc abeamus,vt cuncta rurſum ea,quæ hactenus tibi breuibus verbis explanaui,etiam oculari figura,amplioris doctrinæ cauſa,vobis ante oculos inſinuem? PHAR.Neuter noſtrũ tam feſtinus eſt,vt iſtinc abſcedat,quin horulam adhuc vnam, immò ſi operæpretium fuerit,etiam duas tuæ ferulæ libentior impendat. Proinde quam polliceris figuram ocyus vt voles conſcribe. Nobis quidem, vt confido, vſui non mediocri futuram. Viſibilis enim figura duo vtcunq; præ ſe fert emolumenta. Cumprimis enim eius aſpectus oculos demulcet:& exinde per oculorum oblectationem non minimum quoque præſtat occultiori intelligentiæ iuuamen. PHIL. Scribo igitur hac in planicie circulos quatuor, A,B, C, D : ex quibus conficio quadratum totius humanæ ſubſtantiæ:eo quidem pacto, vt linea A,B,ſit velut anima:punctum verò, ſeu circulus A, ſit prima & potiſsima agendi animæ vis:ideſt,vel ratio,vel intelligẽtia, in qua prius,cùm vobiſcum diſſerui,ipſam ſublimẽ & inuiam animæ endelechiam locaui. Circulus autem B,ſit ſecunda agendi animæ facultas:vti vel ſenſus,vel ipſa vitalis potentia.Circulus autem C, ſublimis,& ſtans è regione circuli A, ſit velut inuiſibilis ſinus animæ:ideſt,vt organum rationis,vel intelligentiæ. Nam ratio & intelligentia nuſquam in terrena & materiali corporis aluo quicquam omnino agunt,ſed duntaxat in immateriali ſolius animæ ſinu ſe mouent. Circu-

lus

lus autem D,ſtans ex aduerſo puncti vel circuli B,ſit vt hominis corpus, in cuius quidem ſolius gremio B, ſecunda agendi animæ facultas ſit nata agere, & ſe mouere. Produco quoque in eo quadrato, coſtas quatuor: A B, A C, B D,& C D: nec non & geminas diametros, A D,& B C, Hæc eſt igitur figura, quam promiſi,& quam quidem,amplioris diſciplinæ gratia, velut apprime vtilem, nec ideo dandam neglectui, hoc in loco conſcribendam cenſui.



SADD. Quid quæſo ex huius conſcriptione figuræ illaturus nobis es paru̅per expone. PHIL. Vt ſingillatim iſtiuſmodi figuram, quam pinxi, vtrique veſtrum diligentius

exponam: Dico cumprimis, quoniam linea A C, actionem oſtendit in anima perennem, quam iam multotiens dixi à philoſophis endelechiam nominari: ibi enim prima agendi animæ facultas, ideſt punctum A, in puncto C, vti in organo conſubſtantiali, & prorſus inſeparabili agens, ſicut nullam omnino mortis vim expaueſcit, ita nec vllam ſui intermiſsionem, aut ocium, aut impedimentum timet. Inferior autem linea B, D: qua punctum B, ideſt ſecunda animæ vis & agendi facultas, in corpore D agit, actionem exprimit animarum diuiduam, mortalem, caducam, ac fatigabilem: quæ tum quidem deſinit, ac ceſſat, cumprimum mors punctum D, id eſt corporis vrná, ab anima diſſociat. Diameter autem A, D, lineam mortis pingit, cuius integritatem tum manus mortis perrumpit ac diuidit, cùm ipſa corpus D, abiungit ab vnione animæ. Diametrus verò B, C, mundo eminentior, & expers materiæ, nihil prorſus in morte perpetitur. Identidem nec triangulus totus A, B, C. Nam ſicut ſingula eius puncta ſunt fato mortis eminentiora: ita conceſſum non eſt morti perrumpere atq; refringere vllam eius lineam. In area enim ſolius trianguli B, C, D, permiſſa eſt morti licentia graſſandi. Nam duntaxat punctum B, quo corpus exprimitur, à totius hominis quadrangulo mors diſſociare potis eſt. PHAR. Per punctum igitur A, quod primam exprimit agendi animarum vim, quá diximus fore perennem, & iugi actione ſe mouentem, iuxta ſenſum doctrinæ tuæ, colligere me atq; inferre decet, animarum (quippe ſemper in puncto C, agentium) immortalitatem. PHIL. Decet vtique id te inferre. Hæc eſt enim potiſsima illa, & longe præcipua animarum vis, quam & morte & triſti fato Parcarum ſublimiorem fore te docui. PHAR. Per punctum verò B, eadem lege me depromere

licebit

licebit eam rationem, quæ de futura corporũ reſurrectione quemlibet efficiat certiorem. PHIL. Iſtud eſt quod iam multotiens ex ore meo audiuiſti: qui rem ita ſe habere palam edocui. PHAR. Ab his igitur animarum viribus (quarum vna & præcipua, ſemper quidem agens, mortem non timet: reliqua verò per mortem & organi orbitatem prorſus ſilet) iubes vt duplicem rationalium animarum fructũ legam. PHIL. Id profectò volo, & iubeo. Nempe immortalitatem animarum, & reſurrectionem corporum. SADD. Quid igitur, oro te, mors in ea quam pinxiſti nobis totius humanæ ſubſtantiæ quadratura, poteſtatis obtinet? Et quã etiam in ea vim exercet: quídve damni & incommodi illi infert? PHIL. Haud profectò altius mors illi nocet, quàm quòd ab ea demit ac diſſociat punctum D, quo quidem teneram & caducam corporis vrnam prius expreſsi. Deinde per corporis abſentiam actionem quoq; animæ quæ fit in linea B D, ceſſare & intermitti iubet. Abſente enim corpore D, facultas agendi B, iam non habet in quo ſe moueat. Manetq; ideo prorſus ocioſa: & ab actione ſuſpenſa. PHA. Soluit ergo mors integrã hominis quadraturã, ac minuit illã, redigitq; eam in ſpeciem trianguli A, B, C. PHIL. Soluit profectò. Nam puncto D, per vim mortis reſoluto & abiuncto, ſupereſt nõ aliud ex prioris quadraturæ ſpecie, quã triangulus A B C: quem quidem voco prorſus immortalem, iugémve, & incorruptibilem, atq; à mortis ſæuitia omnino immunem. PHAR. Non aliud quicquam poſt corporis exceſſum mors in homine molitur? PHI. Nil prorſus aliud, quod norim. Sed tandem Deus ſolutum morte corporis & animæ coniugium inſtaurabit. PHA. Ad quid facturus eſt id Deus? PHIL. Ne ſecunda animæ vis, quam ſignificaui per literam B, iugiter ab actu orbata ac ſuſpenſa ſileat:

& præter naturam ſuam nihil agens, longa ſuæ orbitatis tædia ingemiſcat. Ideo Deus reſiduum humanæ ſubſtantiæ triangulum in ſuam quadraturam inſtaurato B puncto reducet. Hæc eſt igitur patentiſsima ratio & cauſa reſurrectionis venturæ, quam tantotiens ſcire concupiſti. PHAR. Craſsiori amborum noſtrum intelligentiæ non mediocriter ea profuit. Mirum enim in modum nos iuuit iſtius, quam nobis pinxiſti, figuræ ocularis inſpectio. SADD. Iuuit quidem, oblectauitq; plurimum iucunda illius inſpectio. Sed eius expoſitio peramplius nobis fuit frugi. PHAR. Agnoſco per eam id quod hactenus ignorabam: quoniam ſcilicet dum mors à ſpecioſa totius humanæ ſubſtantiæ quadratura abiungit punctum D, etiam vnà tres illius lineas perrumpit. Coſtas quidem B C, & C D: nec non & diametrum A D. Cæteras autem duas eius coſtas A B, A C, & diametrum B C, ſinit integras, & prorſus intactas. Ex quibus quidem tribus cùm coaleſcat triangulus A B C, (quem mors nullo ſui puncto contingere & infringere permiſſa ſit) liquet hunc ipſum eſſe veriſsimum ac deſideratũ humanæ totius immortalitatis triangulum. PHI. Non abs re philoſophus Plato, myſterijs numerorum plurima tribuens, omnia ex triangulis confici docuit, & in triangulos quoq; cuncta reſolui. Cùm enim cerneret ſapiens ille, inſignis numerorũ dignitatis indagator in vniuerſa numerorum ſerie triangulos lõge cæteris eminere: nimirum de rationalium animarũ immortalitate per triangulorum veſtigia philoſophandum cenſuit, & docuit. PHA. Quanquam conſtet, inter mathematicarũ figurarum ſpecies triangulum quadrato fore eminentiorem, vtpote ſimpliciorẽ, & ordine priorem: nónne tamen dignius quiddam eſt, & longè præſtantius, hominem in ſuapte

deg

degere & ſubſiſtere quadratura : quàm illum conſiſtere in ſolius ſimplicitate trianguli? PHIL. Præſtantius ſanè: quanto quidem ſuam partem vincit vbiq; integra totius ſubſtantia. Et quantum etiam duo equidem bona ſunt vnico & ſimplici bono meliora. Etenim ſicut triangulus pars quædam eſt, & portio quadranguli : ita & ſimplex anima homo illico non eſt, ſed tantum hominis pars. PHAR. Perinde atque etiam corporis arcam : non protinus hominem, ſed ſolam totius hominis partem dicere licet. PHIL. Adde inſuper ad hæc : quod cum forma, ſpeciéſve quadraturæ, inter genera angularium figurarum (hanc enim ſolam, recti anguli apud mathematicos omnium præcipui & ſpecioſiſsimi diſtendunt & ambiunt) non immeritò diuina ſanctio in eius figuræ pulchritudine & ornatu, humanæ totius ſubſtantiæ metas ac terminos appendit. Nam & veteres poëtæ in eius quoque figuræ ſtatione Virtuti velut ſtabili,fixæ, & amatrici quietis, aptiſsimam ſedem tribuerunt. Qui ex aduerſo Fortunam, velut inſtabilem, cæcam, improuidam, ſempérque variam, in circuli ſemper volubilis inſtabilitate ſedere cecinerunt. PHAR. Humanarum etiam ſuper terram habitationum ac domiciliorum, nec non & vrbium figuræ longè decentius in quadro, quàm in circulo adaptari, & exfabrefieri vbique ſolent. Vrbem quoque Hieruſalem, noſtræ gentis metropolim, futuram regni Dei ſedem, etiam in quadro à Deo fore inſtaurandam, ſanctiſsima noſtrorum prophetarum eloquia olim promiſere : eámque à quatuor mundi plagis, Oriente, Meridie, Occaſu, & Aquilone, tribus portis, per ſingulas fore coſtas, diuinitus diſtinguendam. Nam iuxta numerum Iſraëliticarum tribuum, eam quoque vr-

bem duodecim portas diuina ſanctione habituram. PHI. Hæc veſtræ genti Deus myſteria prouidit. Cùm etiam duodenarius numerus plurimorum ſit myſteriorum fœcundus, quæ nunc breuitatis cauſa conticeſco, & omitto. PHARISAEVS. Sanxit etiam, vt reor, Deus in myſterio quadranguli hominum animas, hactenus ab angelicorum actuum ordinibus diſtinguendas: ſcilicet vt ſicut angelicæ beatitudines corporis expertes quo quopacto in triangulorum ſpecie, Deo iugiter adſtare creduntur: ita & inferiores hominum animæ per ima & terreſtria corporum coniugia in quadrangulos collaberentur. In quibus iuſtiſsimam illis Deus manſionem conceſsit. PHIL. Id quidem, quod nunc opportunè commonuiſti, reor ardua myſteriorum energia non carere. Nam vt liquido videre videor, haud ſine cauſa hæc fecit inſignis & circumſpecta Dei prouidentia: vt dignitates, & eminentias vtrorumque immortalium actuum, quos mundo ab initio præfecit, diuerſarum manſionum ſedibus, veluti triangulis & quadrangulis aptè diſtingueret. Atque etiam hinc rurſum (ſi tamen id audire non piget, immò libet) myſterium reſurrectionis depromere licebit. PHAR. Quî quæſo id fiet? PHILOSOPHVS. Dixi iam tibi (ſi tamen meminiſti) cur in quadrata humani corporis ſpecie præparauerit aptiſsimam Deus hominis animæ manſionem: & cur etiam æquum viribus illius ſtruxerit in carne neceſſariorum organorum domicilium: quo inter illam & angelum iuſtam erexit actionum longè differentium maceriem. PHARISAEVS. Nondum immemor eius dicti tui ſum. PHIL. Cum igitur mors eam hominis, quam dixi, quadraturam ſoluit: nónne vnà ipſam hominis animam per tempus naturali carnis amictu; ſuáque ipſius

veſte

veſte denudat, ac ſpoliat? PHARISAEVS. Exuit profectò mors eo pacto animam, relinquítque eam prorſus nudam, & ad multa inhabilem immò inertem. PHIL. Quamobrem neceſſarium fuerit, vt Deus nolens animam perpetuo linquere nudam, aut vllis viribus ocioſam, perruptum à morte hominis quadrangulum nonnunquam ſuapte ipſius voluntate inſtauret, & languenti animæ, eo quidem in ſtatu male habenti (quippe à ſuapte ipſius manſione extorri, ac prorſus nudæ, & inhabili) priſcam ſui iterum gnomonis inueſtituram circundet, eiúſque ſpolium illi reddat. PHARISAEVS. Id quidem, quoad videre videor, perſpicuum ſatis eſt, & ratione non caret. PHIL. Nónne etenim melius, ac longè decentius iudicaueris, omnia in ſuæ conditionis ordine, & in propriæ manſionis quiete degere: quàm vel nuda, vel orbata officiis naturalium actionum: vel quàm demum à ſuis ſedibus profligata, & in peregrinum relegata exilium? PHARISAEVS. Ita prorſus hæc ſeſe habere iudico: nec eſt quiſquam, qui his illico non vltrò conſentiat. PHIL. Quia igitur, ô viri percelebres, hæc vobis placent, & animo tam bene ſedent, quibus hactenus tam de rationalium animarum immortalitate, quàm de corporum reſurrectione vos quoquo pacto inſtruere, & certiores efficere niſus ſum: pluráne adhuc ea in re veſtra ſitiunt deſideria? an verò ſatis ſit factum dubietatibus amborum veſtrum? SADDVCAEVS. Satis profectò deſideriis feciſti noſtris: Nec ſupereſt iam ambobus nobis quicquam, niſi vt cum gratiarum actione, & extremæ ſalutis impartitione ſinguli noſtrum in ſuas, de more ſatiatarum ouium, caulas abſcedant. PHAR. Non minus gratam, quàm ſublimem, & apprimè vtilem

 nobis

nobis (alioqui malè habentibus) doctrinæ tuæ candor contulit medelam : quæ & veterem amborum noſtrum ignorantiam profligauit , & exoptatam venturæ reſurrectionis fidem,immò verò rationem , aridis & ſitientibus nobis patefecit. Nihílque amodo ſupereſſe video , niſi vt te quidem annuente iſtinc abſceſſuri , canamus hoc carmen.

Claudite iam riuos pueri,ſat prata biberunt.

PHILOSOPHVS. Abite igitur iam quo lubet incolumes, noſtríque haud immemores,valete. SADDVCAEVS. Ac tu quidem, ô philoſophiæ decus : hoſpes hinc abi,ac bene etiam vale.Precamurq; ambo, quia tui erga nos ludi magiſterii labores vix compenſare ſufficimus , vt largitor præmiorum Deus tibi plura in decuplum compenſet:mercedemq; qualem promerueris benignus exoluat. VALE.

FINIS.

CAROLI BOVILLI AD MALLARIVM, *immortalis animæ & amicitiæ gratulatorium carmen.*

Ne putet in nihilum quiſquam me morte reſolui,
Salua ſuperſio, atque integra permaneo.
Tota equidem maneo : licet vt vapor, & leuis vmbra,
Nullis per mortem viribus expolior.
Nullum mors ex me ſpolium, quàm corporis aufert:
Organa cum quo etiam depereunte cadunt.
Tolle à me mundum, pereant hypodemata carnis:
Non in me excellens Endelechia ſilet.

Endel

Endelechia manet, mundo ſublimior omni:
Indiget hæc nullo corporis obſequio.
Si in mundo fuero, ſi in corpore, ſiue ſine illis:
Non ideo emoriar: plurima ſemper agam.
Te iubeo gaudere ſenex vicine ſepulcro:
Corpus, non animam, foſſa vorabit humus.
Quiſquis eger langues, languore experte medelæ:
Quem morbo affectum pharmaca nulla iuuant:
Qui quoque ceruices annoſus flectis in imum,
Et qui præ ſenio iam ſilicernius es:
Cui morituro iam pollinctor aromata condit:
Et cui veſpillo cuſpide buſta parat:
Et quem fortunæ attriuit lacrymabilis ictus,
Spem cape, poſt fata eſt vita repoſta tibi.
Triſtis nemo manus agat in ſua corda cruentas,
Neu quis ſupremam ſe necet ante diem:
Nec ſua crudeli perſtringat colla capiſtro:
Nec ſe deſperans perdat in igne truci.
Supremam expectare diem de lege iubemur
Hanc, qua noſtra deus fœdera diſſociet.
Fœdera qui ſanxit noſtra, hic diſſoluet: & illa
Reſtituet nullo diſſocianda die.

DE MVNDI EXCIDIO, ET EIVS INSTAVRATIONE.

CARMEN AB INCERTO AVTORE PERTINENS ad mundi huius excidium, & eius inſtaurationem.

Et iam tempus erit, quo magnus concidet orbis.
Iungenturq́ vno, pontus & aſtra loco.
Confundent elementa ſuos diſcordia fines:
Concutient ſenas ignis & vnda manus
Atq; iterum toto ſurget gens aurea mundo:
Fulgebuntq́ noua lunaq́ ſolq́ face.
Crimina diffugient, nec martia bella gerentur:
Curret cæruleo nec vaga cymba mari.
Cana fides caſtusq́ pudor, pax alma redibunt
Et quæ de ſuperis vltima ceſſit humo.
Tunc & perpetuos tellus dabit vna colores
Et nouus æterno flore nitebit ager.
Sub iuga nec fortes mittentur curua iuuenci:
Sponte ſua viridis conteget arua ſeges.

CAROLI BOVILLI SAMAROBRINI DIALOGVS.

De mundi excidio , & illius inſtauratione.

Interloquentibus perſonis tantum duabus: Sapientia erudiente, & Ignorantia ſingula interrogante.

*

ARGVMENTVM.

POST dialogum vnum de Immortalitate animæ, & alterum de Corporum inſtauratione : ſiue,Hominum reſurrectione, (eſt enim corporum inſtauratio noſtræ totius reſurrectionis initium : & præuia redintegrandi hominis ſubſtantia) ſubiit tertio loco vtilis cogitatio mentē:ſuadēs, vt ab ingruēte pari occaſione dicerem etiā nonnihil de excidio, & inſtauratione mundi:quem quidē iuxta fidem ſcripturarum , nulli ferè homini dubium eſt, futurum in fine ſupremi ignis pabulum. Inſtauratio enim mundi, cùm ſit comes & aſſecla noſtræ reſurrectionis, & annexa ſperandæ reparationi corporum : etiam non abs

re poſtulauit & ipſa famulantem ſibi ſuo ordine dicari calamum. Ideſt, vt de ipſa parem conſcriberem dialogum. Iuſta quidem mihi viſa eſt eiuſmodi titillans, & ingenua ſacri deſiderii poſtulatio:nec (vt obreptitio carmine dicã)

Aſpernanda quidem, aut moroſa, digna repulſa.

Nam pulcherrima rerum proportio,& adurgentis analogiæ commoditas ingruebat, docens eo vtiq; modo ſe habere mundum, ad humani corporis appendicem: immò verò ad totum etiam hominem:quo pacto ad animam fragilis carnis theca,& lutea corporis circũueſtitura ſe habet. Quæ enim ratio,nos inhortatur ac iubet dicere,corpus veram eſſe & aptam animæ manſionem,iuxta illius vires variis famulantium organorum cælaturis à Deo excultam: eadem nos ipſa oppido compellit, vt & decoram mundi machinam vocemus cùm corporis domiciliũ ,,tum totius hominis habitaculum:& tam latam, quàm ſpecioſam, & mirificam vtriuſq; domum.Et rurſum qua etiam ex cauſa dixerit quis,ipſum animæ domicilium, ideſt corporis vaſculum, lue interioris peccati vitiatum, & inquinatum, iubente Deo, primum quidem abiũgi oportere ab anima, deinde exanime effectum,ſolui in puluerem: & poſtremò rurſum aliquando è ſuo puluere excitari debere. Eodem profecto omine cenſuerit & is conſpurcatam & labefactatam ab hominum peccatorum habitatione machinam mundi, excadeſcente ſuprema Dei ira, per voracis ignis exterminium in cinerum quiſquilias ituram:& iterũ nonnunquam à Deo iuxta priſcum ſui decoris ornatum,& ad omnem harmoniam ſolutæ pulchritudinis inſtaurandam. Cùm igitur hæc tria, Anima, Corpus,Mundus,quandam conflent mutuæ manſionis & cohærentiæ catenam: nequaquam me piguit, vt ſicut ſeorſum de Animæ immor-

talitate

talitate,deq; corporum reſurrectione duplici dialogo mea per ocia luſi: ita & de Mundi excidio atque inſtauratione pari dialogo colluderem. Parcendum ſiquidem labori in quouis negotio non eſt:nec ab exercendo ligone in terra pingui & vbere ſegniter obdormiſcendum : vbi dignam exacti laboris & iactæ ſementis conſequi ſperamus annonam:quæ plus decuplo grauem aratri laborem ſpemq; coloni compenſet. Atqui apud omnes eſt ſcitu dignũ quiddam, & magni miraculi oſtentũ,inſtauratio mundi. Quæ non tam captui humanæ intelligentiæ peruia & nota ſit, quàm ſoli diuinæ miſerationis, & piæ voluntatis arbitrio condonanda. Immortalitatem quidem animæ, velut iure primam & potiſsimam illius dotem,philoſophica ratione ſcrutari & ſcire quoquopacto libet. At verò & rediuiuam ſolutorum corporum effigiem, & mundi quoq; totius inſtaurationem haud vſqueadeo aut mentis oculo,aut vllius rationis indagine ſcire, & adſequi licet. Quanquam enim hæc alta Dei miracula ſuæ non ſint rationis & cauſæ expertia,quia ſubobſcuriora tamen ſunt:nec tam vicina luci humanæ intelligentiæ : huic peramplius ſolius fidei ingenuitati ; quàm rationis inueſtigationi : ſubdi, & linqui à ſingulis rerum indagatoribus hæc ſolent. Vt igitur complerem encicliam ipſam naturalium animæ manſionum, ac domiciliorum, (etenim anima per ſeipſam in corpore degens & per corporis gnomonem in ampliſsimo quoq; mundi incolatu caſtra figens,encicliam quandam conflat ſuarum circum ſe manſionum)cùm parcere nollem labori,albicantem feſtinus chartã plicui,& calamũ rapui,vt de mũdi excidio & inſtauratione ſuo etiã dialogo mecũ ipſe colluderem.Introducam autem iſtuc perſonas tantũ duas: ſapientiam ſcilicet, & ignorantiam. Illam quidem, ſicut

per ſe cunctorum conſciam , nihilve non ſcientem : ita & ea affatim edocentem. Iſtam verò ſingula ea , quæ ſcire expedit , ab illa viciſsim ſciſcitantem , & interrogantem. Eſt enim Sapientiæ,ſeu cuiuſlibet plenæ & illuſtratæ mentis officium:ad ſingula reſpondere,Ignorantiæ autem(quæ cæcum & vacuum luce pectus mitiſsimo ſapientiæ iugo ſponte ſubmittit , vltroq; erudiendam ſe offert) peculiare eſt,ea ſciſcitari,& interrogare,quæcunq; in lucé promenda ſint & ſcitu digna.Nunc ergo in ſermonem ingreſſuri,primas mutuæ collocutionis partes cenſuimus Ignorantiæ,velut ſitienti,& ad meliora inhianti,tribuendas.

IGNORANTIA.

TAEDET me tenebrarum mearum,& innatarum mentis obſcuritatum:in quibus egó quidem cæca , & arcano animi cratere vacua ex aluo meæ prodii parentis. Cupio igitur ego,cùm iá penè adoleuerim , ocyus tenebris à me excuſsis , fieri particeps iucundæ lucis : & ea ſcire ac noſſe ſub dio & in lumine , quæcunque quemlibet ſub cœlo viuentem ſcire iuuet , proſit , delectet. SAPIENTIA. Querula es ô Ignorantia : & niſi me verba fallunt tua , de re nuſquam vlla , quàm de temetipſa videris querimoniam mouere. Quid te quæſo ipſam deploras ? viſne forte vulpium inſtar veterem innouare & immutare pellem ? aut optas in te fruſtra dealbari Aethiopem : vt iam nitaris diſsimilis huic fieri , qualem tua te parens grauida aluo enixa eſt? IGNORANTIA. Heus lupus , vt video , vicinus & in fabula eſt : & prægrandes ac patulæ parietibus inſunt aures. SAP. Quid hiſce nunc

mecum ludis vulgi prouerbiis? IGNOR. Quia neſciui, cùm temerè fortè mœſtum os triſtis aperui, te quidem à tergo mihi cominus adſtare, & vſqueadeo vicinam fore. Putabam eo in angulo, quo tantiſpér delitueram, vt memetipſam cæca deplangerem, ſtare me ſolam. Ideo de re quidem nulla, quàm de meipſa, lugubrem cantilenam, ſolitaria, & velut orphana, meas ad aures emodulabar. Sed quia fauſtus, non dubium eſt, euentus, vel aliquis certè Deus te mihi velut expectatum & opportunum Phanionem obuiam dedit: fecitq; vt clarè exaudires, cur ego meas iure pertæſa tenebras, meipſam amara deflerem: rogo ne cæles, cur dixeris, aut inſtar vulpium immutare me veterem velle cuticulam. Aut certè fruſtra conari vel denigrare olorem, vel dealbare Aethiopem. SAP. Ideo id quidem ſubiunxi: quia cũ pertæſæ tibi ſint, in quibus nata es tenebræ: & optes ocyus, excuſſo abs te earum tædio, accedere ad lumen: videare non ſolùm antiquam innouare velle pelliculam: ſed & vnà ad id eniti, vt excutias à ceruicibus tuis conſuetam innatamq; tibi ignorantiæ nomenclaturam. IGNOR. Cur quæſo id me velle arguis? SAP. Quia vbi candidum ſcientiæ lumen ſe vndecunque tibi infuderit: nónne quidem id quod hactenus extiteris prorſus obliterabitur, diuerſáque mox abs te fies? Deſines enim illico & eſſe & vocari Ignorantia, vt quæ in priuatione conſiſtit luminis, ſedétque in tota iucundæ lucis abſentia. IGNORANTIA. Eſt idipſum ſané, eſt quod cupiam: quódve mirificè fieri exoptem. Te etenim ipſam longe quàm me pluris facio, & impenſius velut parentem diligo. Eritq; mihi hæc felix & deſiderata diu metaplaſmus: qua veteres tenebrarum mearum exuuias deponere, & exuere tuos ante pedes licuerit. Sic enim ex obſcuro

ignorantiæ profundo in præfulgidum ſapientiæ culmen, felicibus remigiis adſumar:eaq; lege efficiar tibi ipſi tandem & dignitate & lucis copia non diſpar. SAPIENT. Si amor(quod vulgò aiunt) amantem rem in eam quæ adamatur tranſmutare ſolet : certe breuiſsimo calle per ſyncerum lucis amorem tranſmutaberis in me: obliuiſcerisq; prorſus tui:& ex eo , in quo nata es , obſcuritatis angulo lux ſuapte natura ſublimi degens in circulo, te ad ſeipſam adſumet : & quas tantopere faſtidis innatas tibi tenebras, penitus ex te profligatura eſt. IGNOR. Quid igitur,moror, ô ſapientia , niſi vt tibi me totam in poſterum dedam : vt inſtar excoquendi in fornace auri præcipuo amoris tui adurar incendio? Quo non ſolùm deponam veteris ignorantiæ ſcoriam : imò ocyus traducar euadamq; in nitidũ ſapientiæ culmen. SAP. Hactenus profectò conſules tibi boni. Mecum enim concreata eſt lux, primogenita omnis creaturæ, ac diuinorum operum fons. Vnde fit , vt dedeceat à meis liminibus ac valuis procul ire & abeſſe eum, qui innatis exui velut tenebris ,& conſors optet lucis fieri. Sed age dic , ô Ignorantia , quid tibi vis luminis in tuæ mentis tenebras à meo euibrari & excuti radio? Quenam, quæſo, tibi dubietas inſederat? quæ've anxietas animi moleſta tunc fuit, cùm de te altum gemens lugubrem querimoniam mœſto ore ceciniſti , velut pertæſam habens aut temetipſam : aut, quod idem eſt , faſtidiens diuturnam in te lucis abſentiam? IGNOR. Irrepſit quidem mihi generoſus ſciendi amor. Nullus autem, quod belle noſti, igniculus amoris abſq; animi languore eſt. Ideo nimirum huic animi mei ægrimoniæ , velut longioris moræ impatiens, medelam qualemcunq; ocyus abs te adhiberi depopoſci. SAP. Vis igitur fortè,vt aut de animæ immortalitate , aut

de red

de rediuiua, quam repromiſit Deus corporum integritate (quam vulgò homines reſurrectionem vocant) vtilem tecum hoc iſto quo ſtamus in agro ineam paleſtram. Hæc enim duo præclara profecto ſunt,& præ cæteris longe permultis ſcitu digna.Nam cum ſub cœli ambitu nihil ſit homine præſtantius: vtiq; etiam,hominis ſcientiam nanciſci longe præcellit id, quod eſt noſſe, ac ſcire quoduis aliud huius mundi ens. IGNOR. Dialogos nuper duos in manibus habui: quos & auidè perlegi. Vnum, qui ſicut de animæ immortalitate lectorem mirificè oblectet, ita ſuaui ac pingui ſucco ignorantis mentem laute refocillet. Reliquum,qui de hominum reſurrectione per corporis inſtaurationem me perbelle habuerit: & abundè id quod ſcire concupiui edocuerit. Quamobrem nolim de his fruſtra nunc mecum iniri conflictum: nec incaſſum repeti & iterari eundem bis ſermonem. SAP. Dic igitur, quorſum nunc voluenda ſit orbita flagrantis deſiderii tui:ne incaſſum operam tibi nunc meam,polliceri auſim.IGNOR. Eſt reſiduum quiddam vnum, in cuius diſcuſsione impræſentiarum honeſto mecum otio,& vtili paleſtra, nõ incaſſum exerceare. Nec iſtud quidem arduum eſt, nec multorum labor eſt dierum: verùm vnius tantum horæ negotium. SAP. Effer igitur ocyus illud ad aures. Nam cùm ego clariſsimum ſapientiæ nomen mihi iure vendicem:& à diuinæ lucis affluentia prægnans exuberem: quî fiet, vt terga vertendo meam tibi operam denegem: & non impartiar id vltrò tibi,quod norim vtile eruditioni tuæ lumen? IGN. De mundo quidem audire non minus vſui & frugi,quàm miræ oblectationi mihi fuerit:cur ſcilicet mundum ſacræ canat hiſtoriæ fides ſupremo tandem igne ſoluendum: & rurſum eundem à Deo iterum redintegrandum. Etenim

de animæ immortalitate, deq; corporum reſurrectione à geminis dialogis, quos ſedentaria opera legi, certior iam euaſi. Supereſt vt de mundi excidio, & eius inſtauratione erudienda, efflagitem nuncnunc operam tuam: quam quia tam vltro offers, non defuturam mihi eam ſperem. SAP. Non ſanè exiguum, nec leue quiddam, id quod poſtulas eſt: ſed ſermone dignum longo, & plurima collocutione verſandum. Si quid attamen promiſi, id ocyus exoluam. IGN. Vt enim ſapientis eloquium habet, ſi quis quid promiſit, defixit apud proximum, manum ſuam: Nec decet hunc in reddendo eſſe ſerum, aut tardiuſculum. SAPIENTIA. Et ſi res eſt admodum grandis & ardua quam exigis à me, ſcilicet, vt de mundi excidio, & eius inſtauratione, tibi ea quæ vera ſunt, quæq; à probis ſentienda diſcutiam: attamen ne ob rei arduitatem efficiare abiectioris ſpei, molliorîſve animi, agam tecum pro viribus. Id ergo cumprimis te noſſe ac ſcire expedit: eandem prorſus de mundo, vt & corpore de humano militare diſciplinam: & vniformem adſequendæ eius ſcientiæ fore rationem. IGN. Qui eandem vis eſſe rationé amborũ, vix dum id capio. Cũ tanta diſtet mundus intercapedine ab hominis corpore. SAP. Ideo vnam eandemq; & corporis & mundi rationem eſſe iudicaui: quia quiſquis cauſam nouerit, ob quam ſeuero ſui iudicio ſanxerit Deus ſolui debere humani corporis thecam in cineres: noſcet & is illico cauſam, cur idem iuſtus iudex ſententiam dederit: periturum ab igne in fine mundum. Et non modò iſtud de vtriuſque excidio habe: ſed & ex aduerſo de amborum inſtauratione pari prorſus omine philoſophandum eſſe tibi perſuade. IGN. Prome mox, & effer in publicum communem iſtiuſmodi cauſam: vt dum vnicam eam eſſe didicero,

cero, tuis illico verbis, vltro ſubſcribam. SAP. Noſtíne cauſam, cur hominem diuina oportuerit ſanctione mori, ac tolli aliquando è medio? IGNOR. Exiſtimo non aliud, quàm reatum inobedientiæ nocuiſſe homini in paradiſo, cauſamq́; omnem mortis illi peperiſſe. SAP. Hæc enim inobedientia, diuinæq́; legis præuaricatio extitit vnicà totius humani peccati origo. Peccatum verò, ſicut & hominem à Dei amicitia diuiſit: ita & iure ex amœniſsimis paradiſi thalamis eum excluſit. Diuiſa autem & abiuncta à Deo hominis ſubſtantia, ſicut ex diſsimilibus ab initio partibus coaluit: ita etiam diuiſionem in ſeipſa eá perpeſſa eſt, quam quotidie vocamus morté. Hæc autem diuiſio, ſeu mors(anima per ſe ſtabili, & immortali permanente) gelidũ, exanime, & expers vitæ corpus in cineres ſenſim abire iubet. Hæc eſt igitur cauſa, & diuiſionis humanæ ſubſtátiæ & exinde, cur corpus, abiectior & inferior illius pars, corruptioni per multa tandé incõmoda demádetur. IGN. Proſequere vlterius, ô ſacrũ diuinæ lucis armariũ, aleá tuam: & impéde ocyus anhelanti mihi id quod pollicita es. Cur ſcilicet hæc etiá cauſa, ideſt ſola peccati lues, & ſubſequens hominis mors; toti huic mundo extremũ minitetur excidiũ. Cúrve cũ homine ob inhabitátis in eo peccati lué pereũte oportet & vaſtá cœlorũ exuri encicliá & ſpecioſam exinde perire fabricam mũdi? SAP. Quia cũ ſpecioſa quá vides, & ornatiſsima ampliſsimi mũdi aula, ſit ſpacioſum quoddá tá hominis, quá humani corporis municipiũ: ſtructũq́; Dei manu domiciliũ: cur non ideo hinc perpédis, hanc etiá ab ſui hoſpitis, ideſt hominis, habitatione & máſione nõnihil cõtraxiſſe inquinationis & ſordiũ? & nec omnino corá oculis Dei eá ſtare ſyncerá & mũdá. Quáobré ſanxiſſe quoq; Deũ, hác etiá vnà cũ homine in fine ſoluendá & ſupremi

ignis voragine abſorbendam? IGN. Ergóne luet inſons & innoxia mundi machina noxii hominis reatum & peccatum? SAP. Luet haud dubiè. Nec enim illi impune ceſſura eſt peccatoris hominis intra ipſam manſio. Perinde atque hoſtilis vrbs, ab aduerſario oppugnata & capta, nónne ſæpenumero per extremam ſui ruinam, & euerſionem, luit domini ſui noxam, & offenſam? IGN. Luit profectò. SAP. Nam ſicut etiam vaſculum, quod immundo quouis fuerit liquore delibutum, haud omnino ſyncerum eſt & mundum, in oculis ſaltem eius, qui fuerit amator honeſtatis & mundiciei: ita & rere ampliſsimam mundi machinam, quanquam à ſuapte ipſius conditione illuſtrem, purámve & innocuam: ab incolatu tamen & contagio præuaricatorum hominum ante mundiſsimos diuinæ maieſtatis ocu los nonnihil habere ſordium & immundiciarum: quòd ideo illi in fine dierũ triſte afferet exterminium. IGN. Ratio hæc tua admodum placet, quæ nil profectò, niſi ſimile veri præ ſe fert. SAP. Quæſo rurſum audi me, vt alia tecũ ſimilitudine obiter colludam. An enim cenſes ſecurum eſſe, incolumem hominem, tuendæ ſuæ ſanitatis ſtudioſum, in domo habitare viri leproſi. IGN. Nequaquam cenſuero id ſecurum, tutúmve eſſe homini, ſuæ ſaltem ſanitatis amatori. Nam eiuſcemodi domicilii tam interior aura, quàm vel muri, vel conſpurcati parietes, haud ſunt benè ſalubres & incolumes. Quamobrem facile à contagio & ſpurcitia lepræ inficeretur is, ac male haberet: qui temerè eius domus incolatui ſe committere auderet. SAP. Præcepit olim Deus in ea lege, quam Moyſi in Syna dedit, luteum omne vas, quod vel cooperculum non habuerit, vel quod quauis ex cauſa, fuerit inquinatum, non ſolùm ab humano vſu reiici prorſus oportere: verùm illico confrin-

gi deb

gi debere. Nec non & domum etiam omnem, in qua incurabilis lepræ plaga quauis ex cauſa ſuccreuerit, indicio ſummi ſacerdotis, non ſolùm ab hominum habitatione inhiberi: ſed & mox eam dirui, ac ſolo æquari oportere. Ne & abominabilis Deo lues, & exitialis hominibus plaga latius proſerpens,pluribus noceat. IGN. Hæ ſimilitudinum tuarum ſuaſiunculæ amplum dubiæ rei dignoſcẽdæ afferunt lumen. Quo tandem facile condiſcam, mundum hunc non fore perennem: immò eundem, velut ab fœdis hominum ſqualloribus inquinatum, & tanquam domum ab incurabili plaga lepræ vſquequaque viciatam eſſe ſupremo magni Dei iudicio, & irreuocabili illius decreto aliquando ſoluendum. SAP. Etenim ſcire te oportet,hunc mundum haud aliud eſſe, quàm ampliſsimam quandam hominis domum, ſtructamq; manu Dei vrbem, ſeu viſibilem illius manſionem propter vnius humani generis incolatum à Dei ſapientia dignè exfabrefactum. Quæ ideo cum homine, velut ſuo hoſpite,& municipe(quippe à Dei amicitia ſemoto, & infeſtis hoſtibus applaudente)non immerito peritura ſit:& hoſpitis ſui mala,ac ſcelera, vindicis ignis vltione luitura. Quicquid enim eſt propter hominẽ, & ſolius hominis cauſa à Deo factum,id nimirum,vt non omnino purum,nec innoxium, dic & argue in fine eſſe periturum.IGN.Serpſit ergo humani virus peccati quàm latiſsimè:adeo vt inſtar noxiæ & virulentæ herbæ in ipſam vſque machinam mundi ſeſe effuderit. SAP. Serpſit proculdubio: ſicuti & leproſi hominis contagium non modò domus ipſius parietes, & tecta labefactata, quibus fœdam impingit incurabilis morbi luem: ſed nec inteſtina eius aura manet ſyncera & innocua.Porrò nunquid etiam audiſti, aut vſquam legere potuiſti: Cœlos quidem ipſos,

quanquam perſpicuos, & peruia luce tranſparentes: haud tamen eſſe mundos in conſpectu Dei. IGNOR. In ſacris eloquiis iſtud ad vnguem recenſetur. Attamen dic, quæſo, qualiter ab hominum peccatis, conſpurcari & inquinari potuerint nitidiſsimi cœlorum globi: vt ſint etiam & ipſi cum inferioribus elementis ituri tandem in ruinam ſupremóve igne ſoluendi? SAP. Rem iterum poſtulas non modicam:ſed grandem & arduam. IGN. Nimirum vt nil non ſciam, audax poſtulo grandia. SAP. De elementis, in quibus aſsidua verſatur hominum mora, & quotidiana habitatio,nulli dubium eſt,hæc equidem ipſa,velut ab hominum habitatione & commercio nonnihil inquinata, extremo igne perdenda. IGN.Nil de elementis iam rogo, de quibus perſuaſum ſatis mihi eſt, ea tandem fore peritura. Demiror longe amplius, quo pacto ſemotiſsimi ab hominum incolatu cœli: deq; tota luce perſpicui, & velut ipſius ſcabella Dei, totiusq; mœnia mundi, demorantium ſub ipſis hominum contraxerint luem, ab vltrice diuinæ iræ flamma in fine expiandam. SAPIEN. Mirum ô Ignorantia, quòd non modò de cœlorum addubites inſynceritate: ſed cur nec etiam tecum obſtupeas, quî queat ſublime ignis elementum,cœlo lunæ attiguum,euaſiſſe inſyncerum. Necnon etiam, qualiter ſuprema aëris regio, quæ nec ventis quatitur,nec nubibus obſidetur,potuerit ab hominum ſub ipſis habitantium labe inquinari. IGN. De his quoq; nihilominus in dubium veni:cùm in his prorſus nulla ſit habitatio hominum,nulláve vllorum animantiũ, aut corruptibilium quarumuis rerum manſio.SAP.Digna profectò cui fiat ſatis dubietas tua eſt. Hæc enim ſcitu dignum,atq; altum nõnihil redolet:& colorem rationis præ ſe fert. Quanquam ratio quoq; vnica prorſus eſt: quæ & ſimpl-

ſimpliciſsimam elementorum ſubſtantiam cumprimis minetur caſuram. Deinde & quæ cœlis etiam ipſis extremum diem dicat, eosq; ob aliquantam humani peccati ſentinam doceat in ſupremum ignis incendium à Deo demandandos. IGN. Sed nunquid fatebere inſynceriorem attamen eſſe, ac fœculentiorem inferiorum elementorum turbá, vti terram aquam, & infimam aëris regionem, in quibus fixa eſt, & ſedet, promiſcua cùm animalibus hominũ mora & habitatio: ſuperiorum autem elementorũ orá, in qua nulli quod norim animanti manſionem conceſsit Deus à vitiis & conſpurcatione hominum manere incolumioré ac longe ſynceriorem. SAP. Quî iſtud inficias iero? Inſyncerior enim, quod ais, eſt infima mundi regio: ſupera autem elementorum ora ac regio, ſicut cœlo vicinior, ita longe nitidior, ac defœcatior. Perinde atq; in viri leproſi domo, quis ambigit fundamentorũ & parietum ampliorem, quam ſublimibus in tectis, eſſe ſordium illuuiem. Nihilo tamen ſecius etiam & tecta, velut non ſyncera, ſed ſordium plena, in ſacris quoq; ſcripturis dirui, & ſolo tenus æquari iubentur. IGN. Iubes igitur, vt vniuerſum mundum nuncupem velut vnam quandá hominis domum, quæ ab hoſpitis ſui labe inquinata, ſua quidé euerſione & excidio, inſtar hoſtilis vrbis, ſit iudicio Dei digna. SAP. Id quidem nimirum iubeo. Eius enim táti humani domicilii fundaméta ſunt ſoli dæ inferiorũ elemétorũ ſubſtantiæ, terra ſcilicet, & aqua. Parietes, mollis aër, & feruidus ignis. Tecta, ſublimes cœli, quibus hæc eleméta alioqui pugnátia, maleq; habétia tegũtur: & in ſua ſiſtuntur harmonia. IGN. Nil certè efficacius, hac eleganti ſimilitudine, qua contuliſti mundũ vnicuiuis materiali domui. Ná meis perbelle poſtulatis reſpondet: meq; velut animo exatiatum clauſo ore obmuteſcere perurget.

SAP.

SAP. An enim putas, in domo ſordida, & plena immundiciarum, vti in hierocomo, quo leproſi aluntur, aut ritè aut digne poſſe tabernaculum Dei, cum hominibus ſtrui ac figi? IGN. Eſt ergo aliquando futura Dei cum hominibus habitatio? SAP. Eſt profectò. Id ſi quidem ſe facturum Deus repromiſit per os eius, qui dixit: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus: Et habitabit cum eis. Et ipſi populus eius erunt: Et ipſe Deus cum eis erit eorum Deus. Quòd ſi reuoluendæ nobis erunt iſtinc ad philoſophiam habenæ: propter hanc etiam cauſam, qua dixi, vniuerſum mundum eſſe velut amplum & inſigne quoddam hominis domicilium: dixiſſe quondam philoſophi memorantur, (nec ad id iuſta ſimilitudine carentes) vniuerſam ipſam viſibilis mundi molem eſſe velut clarum quoddam, & perſpicuum hominis corpus: & hominis viceuerſa integritatem eſſe in analogia velut quandam ipſius mundi animam. IGN. Sat bene memini, à ſcripturæ fide tabernaculum Dei cum hominibus in poſterum promitti. Nondum tamen ſatis perſpectam & exploratam eiuſmodi habeo cauſam, ob quam philoſophi dixere, & mundum eſſe velut arcam corporis humani: & hominem pari iure velut animam & ſpiritum quendam mundi. SAP. Id quidem philoſophi ideo voluere: quia parem prorſus viderunt eſſe proportionem humani corporis ad ipſam quam cernimus viſibilis mundi ſtruem: atq; eundem prorſus amborũ numerum. IGN. Dic, oro te, quis ſit hic numerus amborũ, vt ſciam. SAP. Hic numerus ex imparium genere quinarius eſt: cuius quidem myſterio & metro, non ſolùm humani partes corporis appendit Deus: verùm etiam præcipua & ampliſsima mundi huius corpora in pulchra quadam diſtinxit encicliа. IGN. Quo pacto in enciclia conflarit

rit Deus myſticum numerum,tam ſubſtantialium humani corporis partium,quàm etiam maioris mundi corporũ. Et quidná, oro te, hîc vocas encycliam:rem profectò admodum nouam, & meis ſaltem auribus hactenus inſuetá. SAP.Encycliam voco,mutuam quandam orbium complexionem,& eorum pacificam, intra ſe manſionem : in qua Deus maioris mundi figuram tam bellè tornauit & inſtituit,vt eius ſpecie & cõmoditate figuræ ab vniuerſa mundi aula abegerit vacuum,& inanitatem entium.IGN.Edidiciſſe me dudum ſat bene memini, nuſquam quidem in mundo conſiſtere poſſe inanem quempiam locum ab entium plenitudine vacuum.SAP. Id quidem ritè defendi & adſtrui nequit,niſi per eam, quam voco encycliá. Etenim cùm terra ſui ponderis grauitate in imo depreſſa pro fundamento mundi ſtet : hæc mollibus aquis attigua ſubeſt: aqua aërem ſuaui philemate vndecunq; exoſculatur : aër ignem:ignis ampliſsimum cœlorum orbem attiguus lambit. Ita ergo fit & in minoris compage mundi:in qua quidem oſſa cernimus neruis ſubeſſe:neruos ſub carne delitere : carnem ſanguine vniuerſam conſpergi & obrui : carnem demum & ſanguinem ſupremæ cutis tegmine adoperiri.Vides in vtriuſq; mundi corpore parẽ prorſus conflari analogiam partium : & eũdem non minus ambarum ſubeſſe numerum,ideſt quinarium.IGN.Quid ſi cum hominis corpore,quem iam conflaſti è myſtica pẽthade,adiecero & ipſam nihilominus animam , viuificantem eiuſmodi penthadem, alioqui exanimem vitæq; expertem , & caducam? SAP. Non temerè ſanè id factura es. Conflabis enim in myſtica hexade(apibus ceram in deorum cultum conficientibus pergrata)humanæ totius ſubſtantiæ integritatem : quam etiam veteres & theologi & philoſophi non

abs re ſub ſenarii numeri dignitate menſi ſunt. IGNOR. Nunquid & maiorem etiam mundum, inſtar minoris, ſua quoque metiri hexade licuerit? SAP. Licuerit idipſum indubiè. Si enim toti viſibilis mundi machinæ adieceris incorruptibilem intellectualis & inuiſibilis mundi auram (cui quidem nimirum ſimilitudo ac typus animæ à doctis conceditur) tum ſacram illius complebis hexadem. Nam qui maiorem mundum dixerit eam omnium ſubſtantiarum molem atque congeriem, quæ eſt præter, & extra hominem: tum is ſuo more maiorem quoque mundum ritè ex corpore & anima conflabit. IGN. Agnoſco iam dilucidè quæ ſit faciunda vtriuſque mundi, cùm in quinario, tum in ſenario numero analogia. Sed peto denuo, an intellectualis mundi regio cui clariſsimum animæ typum cenſes iure tribuendum, ab ſupremi iudicii igne, inſtar cœleſtium globorum, ibit in exterminium? SAPIEN. Nequaquam. Nam quantam in homine mors permiſsione Dei cotidie obtinet vim: tantam etiam crediderís, nec vſquam maiorem, ſupremo igni in venturo mundi huius excidio conceſſam iri à Deo virtutem. Atqui mors nequaquam in vniuerſam hominis ſubſtantiam ſæuit: vt quæ ſoli hominis corpori potis eſt nocendi. Immortali quippe animæ mortem nihil nocere, nihil detrimenti adferre poſſe ea ratio oſtendit, quæ animam docet eſſe perennem. IGNORANTIA. Supremi igitur ignis incendium, quanquam inſtar diluuii, ſuper omnia in fine inundabit: haud latius tamen, quàm in maioris mundi corpus graſſabitur. Animam autem ipſam mundi, ideſt intellectualem auram, immortalium & beatorum entium altricem nuſquam vis vltricis flammæ continget, aut exuret. SAPIENTIA. Supremi ignis vigor ipſam

ipſam maioris mundi animam, ideſt ſuperætthereæ regionis auram: quippe prorſus inſontem & innocuam non lædet, ſed intactam eam ſinet. IGNOR. Hic iterum relabor in dubium. Quia dixeris animam mundi, ideſt ſuperæthereæ regionis auram, inuiſibilium ſpirituum & angelorum manſionem, velut innocuam & illabefactam: ab ſupremæ flammæ exterminio, futuram prorſus immunem, nihílve perpeſſuram. SAPIENTIA. Expone palam tuæ dubietatis cauſam. Nam citra veritatem nullum tibi veraci ore effutii ſermonem. IGNORANTIA. Quia nihil verius eſt, quàm prolapſas à bono cateruas dæmonum in ſuperætherea regione, & in ipſa, quàm vocas, maioris mundi anima, per diuinæ legis tranſgreſsionem, à Deo defeciſſe. In ea ſiquidem regione Deus inter ſacras functiones, & beatitudines angelorum felicem illis ab initio manſionem conceſſerat. Quas ſi in ſua ſede memoria conditionis ſuæ ritè imbuiſſet, ſtudiumq; deuitæ voluntatis in bono fixiſſent: non dubium, quin in ſuæ beatitudinis arce ſtabiles permanſiſſent. Si igitur vt iam præfata es, cum ipſo hoſpite, iuſtam Dei legem tranſgrediunte inquinatur illius quoque manſio & ſedes: vt hæc efficiatur, ſicut indigna Deo, ita & ſupremo digna incendio: cur quæſo cum dæmonum peccato nil perpeſſura eſt in fine ſuperætherea mundi regio, in qua patrata eſt infelix illa eorum tranſgreſsio, & iniqua in Deum rebellio. SAPIENTIA. Inualidius molli arundine eſt argumentum tuum: nec planè ſufficiens, vt ideo vllam feliciſsimæ intellectualis mundi plagæ impingat offenſam, ob quam in extremi ignis incendium ituram illam confitear. Nam etſi peruerſæ dæmonum

turmæ, ſicut in ea forte beatiſsima aura originem accepe-runt, ita & hæ, ſe in ea malè habuerunt, atq; à Deo ſola voluntatis iniquitate ſequeſtrauerunt: mox tamen & repente, inconfuſis atq; intactis cæterorum bonorum angelorũ ordinibus, infelici exilio relegatæ in ima huius mũdi loca proruerunt, & à ſuæ tam beatæ manſionis thoro vltoris digito Dei extruſæ, nuſquam amplius in cœlis, neq; etiam in ſuperioribus elementis reſederunt. IGN. Quò igitur hæ abierunt? SAP. In inferiora mundi elementa exules præcipiteſq; ruerunt. In quibus & hominum & animalium generi conceſſa eſt habitatio, tanto infelicior, quanto cum his ſpiritibus promiſcua, & ab eorum inſidiis minus ſecura. Quamobrem dubietatem equidem tuam: rere potius ad ſolutionem & interitum cœlorum, quàm ad ſuperethereæ prorſus innocuæ plagæ excidium pertinere. IGN. Cur id arbitrari me deceat? SAP. Quia demirabere prius, cur cœli (vt pote ſicut ab hominibus ſemotiſsimi, ita & forte innocui) eſſent ob hominum peccata in ignem ituri. Si ergo haud ſatis tibi iſtud eſt, cœlos ſcilicet ob hominum noxam ſupremæ tandem flammæ dedendos, adde ſi vis, minori hominum noxæ ipſam etiam longe grauiorem malorum angelorum ſeu dæmonum tranſgreſsionẽ. Quibus cùm in cœlis dediſſet Deus lucidæ manſionis & ſedis honorem: iuſtúmne tibi & æquum iſtud videtur, vt cùm ipſis dæmonum gregibus à ſua ſede deiectis, ipſa quidem etiam eorum ſedes & manſio in ſupremo Dei iudicio mittatur in ignem? IGN. Reor neminem ſanæ intelligentiæ hominem his tuis verbis obicem poſiturum, quin hæc iudicet ita ſe habere. Hac enim vna reſponſione tua exoptatam duplici meæ ambiguitati medelam attuliſti: vt agnoſcerem cumprimis, qualiter ſublimem animã mundi,

idest

ideſt ſynceram intellectualis regionis auram, conteſtarer nihil ab ſupremo igne perpeſſuram. Et exinde cœlos ab eius exterminio haud fore immunes. SAP. Quandiu hæc duo, vim ſcilicet mortis, & ſupremi ignis excidium, eadem menſura metiere: feceriſq; amborum eandem prorſus ſtateram: nuſquam aut incides in dubium, aut laberis in ſcopulos errorum. IGN. Miram experior eſſe vim iſtiuſmodi menſuræ & analogiæ, qua ſub ſtatera duorũ, ſcilicet mortis & ignis, maiori mundo ſic minorem conferri iubes: vt par prorſus ſit faciunda commenſuratio amborum. Et vt vnica inſuper videatur eſſe cauſa, quæ ſuam vtriq; mundo ruinam minitetur. Haud tamen iuxta ſubſtantiam totorum: ſed quæ ſecundum duntaxat alteram partium futurũ doceat amborum excidium. SAP. Probè adiecisti, iuxta duntaxat alteram partium. Nam nec infeſta mortis ſagitta hominis animam læſura eſt: nec ſupremi ignis vigor vllam præterquam in omni corporea & viſibili mundi ſubſtantia habiturus eſt exterminandi vim. IGN. Hic ergo ignis neq; hominũm animas in nihilum ſoluet: neq; ſpiritus dæmonũ à ſuæ immortalis & incorruptibilis ſubſtantiæ ſtabili axe, in diſſolutionem & exterminium nihili ſeu nón entis adducet. SAP. Nulli prorſus inuiſibili, quippe immortali ſubſtantiæ, hic ignis excidium allaturus eſt. IGN. Quid igitur ſibi vult, quod ſæpenumero audierim, in futuro Dei iudicio, & ſceleſtorum hominum animas, & ſpiritus cacodæmonum, inextinguibili igne excruciari oportere, ſi negandus eſt ignis ille in ſubſtantia poſſe agere incorporea? SAP. Nihil diffiteor, agere quidem poſſe eiuſmodi ignem in ſubſtantia incorporea, quæ carnem & oſſa non habet: cùm cotidie ab eccleſia decantetur, iudicium Dei futurum per ignem. In quo omnis creatura, quæ præ-

dita libero arbitrio, & diuina effigie donata prorſus & impœnitenti voluntate à Deo exciderit; ſit in eorum quæ egerit malorum talionem iuges in poſterum datura pœnas, & interminia ſupplicia. IGN. Cedet igitur mea mihi opinio, ſi in incorporeis ſubſtantiis, vti in ſuppliciis dæmonum & animarum, agendi potis eſt vindex ignis. SAP. Aget quidem, non diffiteor, in incorporeis ſubſtantiis ignis illæ vltionis diuinæ miniſter. Veruntamen non eo pacto, quo forte ſenſus opinionis tuæ tibi perſuadet. IGN. Quamobrem? SAPIENTIA. Quia hic ignis nequaquam, vt inſipienter autumas, ſpiritalium creaturarum incorruptibiles eſſentias ab ſuæ integritatis nodo diſſoluet: nec penitus in nihilum eas adducet. IGNO. Quo pacto ergo in eis ignis hic aget? SAP. Sic quidem & eouſque in eis aget, vt hæ quidem in eo igne iugiter ardeant, & tamen intereant nuſquam: vt've præcluſa ſit illis, ademptaq; facultas à cruciatuum & torminum vi in non ens & in nihilum relabendi. IGNORANTIA. Durus hic ſermo, & ſiniſtimæ auditionis. SAPIEMTIA. Durus profectò & pauendus, eorum præſertim auribus, qui cùm malè per omnem vitam egerint, etiam impœnitentes & ſiliceo corde à vita exierint. Seueritas quippe diuinæ iuſtitiæ ſceleribus iniquorum offenſa, in eis creaturis, quarum cùm ſubſtantiæ immutabiles eſſent, arbitrii tamen ſui voluntate mutabiles effectæ ſunt, iuſta ſua iudicia, & exactorum operum talionem exercebit. Quas quidem per cuncta ſecula irreuocabili ſententia ſic puniet, vt optent fortaſſe hæ iam nihil eſſe, & redire in priſcum chaos non entis: quas impoſsibile tamen fuerit ſuo potiri deſiderio: ideſt in nihilum à conſpectu Dei cadere: & è choro entium, in quo diris iuſtitiæ vinculis à Deo coërcentur,

dilabi,

dilabi, fieriq; rurſum nihil. Alludet enim earum infelicitati id euangelicum eloquium, Melius fuiſſet eis, ſi natæ, vel factæ non fuiſſent. IGNORANTIA. Accepi quaſdam hominum animas in perfunctorio igne ſolùm per tempus, à ſceleribus expiandas: Et non totis irremediabilibus ſeculis daturas exactorum in vita ſcelerum pœnas. SAPIENTIA. Non incaſſum id quod verum eſt prædicari forte audiſti. Deus enim dæmonibus vniuerſis voluntariè quidem, ſed primo & per ſe à bono prolapſis vnam damnationis irreuocabilem ſententiam dictauit. At verò cum hominibus qui ſola dæmonum inſtigatione ſeducti manus maliciei dedere: mitius paulò egit. Quibus quidem duo expiandorum ſcelerum remedia & vtilia antidota benignus indulſit. IGNORANTIA. Quæ ſunt hæc indulta à Deo hominibus obtinendæ peccatorum veniæ pharmaca & remedia? SAPIENTIA. Hæc ſunt: pœnitentia ante huius vitæ periodum, & poſt obitum clementes induciæ cuiuſdam temporariæ expiationis fiendæ per ignem. Quandiu enim vita hominibus comes eſt, tum lacrymarum medela & antidotum pœnitentiæ grande illis remedium affert. Poſt hanc autem vitam etiam Deus has quidem animas, quarum maculas inſufficiens pœnitentiæ acrimonia non ſatis deterſiſſe & abluiſſe valuerit, in induciis temporariæ flammæ diſcruciat & purgat. Quibus exactis, hæ deinceps læto beatarum mentium contubernio, & felici ſodalitio ſint dignæ. Hæc ſunt igitur quæ poſtulaſti poſita hominibus à Deo, gemina purgandorum ſcelerum & inhærentium macularum remedia. IGNORANT. Bene quidem & ritè, hæc apud me ſe habent. Sed vt ocyus reuertamur eo, vnde

digreſsi

digreſsi iſtuc vſq; ſumus, eſt mihi rurſum quiddam quod ſciſciter abs te: nondum enim omnis ex me ſcrupus euanuit, vt iá preſsis immaturè labiis ſileam. SAP. Pete ſiquid amplius te angit: vt id etiam, iuxta vires tibi protinus exoluam. IGN. De ſupremi ignis ſpecie adhuc anceps ac dubia, quaſi à clauò ſuſpendor. An ſcilicet hic ignis futurus ſit eiuſdem ſpèciei cum elementari igne? SAP. Nequaquá, vt qui elementarem etiam ignem depaſturus & perditurus ſit. Erit enim ignis ille elementari igne abſq; proportione, ſicut ſubſtantiæ raritudine ſubtilior, ita actionis vigore longe efficacior. IGN. Qualem ergo coniectari debuero futuram eiuſmodi ignis cùm ſubſtantiam, tum efficaciam agendi? SAP. Cùm ſis eatenus, quaſi exiguus pomilio, giganteis, quod aiunt, vis humeris inniti: qui altiora quá te deceat, rogas ſcire dei myſteria. Qualis enim, & cuiuſmodi actionis, futurus ſit hic ignis, mortalem hominem ſcire phas non eſt: hactenus tamen de iſtiuſmodi ignis & ſubſtantia & actione te obiter docuero. Quoniá hic in fine dierum ab excandeſcentia diuinæ iræ exardeſcet; iuxta id quod in pſalmo ſcriptum eſt: Ignis in conſpectu eius exardeſcet: & in circuitu eius tempeſtas valida. De quo etiam Propheta pauendum iſtud cecinerit eloquium: Quis poterit ex vobis habitare cum igne deuorante? Et rurſum: In igne zeli eius deuorabitur vniuerſa terra. Vbi per vniuerſam terram, intellige non ſolum orbem terræ: verùm etiam corpoream omnem, & viſibilem mundi huius ſubſtantiam. IGN. Quæ verò tanti excidii cauſa? SAP. Promiſcua dæmonum & hominum flagitia, ac peccata. Etenim hic mundus (cuius, iuxta ſapientem Mercurium, nulla pars eſt à dæmonum præſentia deſtituta) in fine totus quidem in hoſtilitatem & in rebellionem aduerſum

ſum Deum, ſub mortis principe conſurgens, & inauditis ſceleribus laſciuiens, iuſtam diuinæ vltionis & iræ flammã ſuccendet, quæ tam immanem hominum dæmonumq; rebellionem inultam abire non ſinens, omnem mundi ambitum pauenda obſidione repentè circuncinget: eumq; velut rebellem, & oblitam conditoris, vel poſſeſſoris ſui vrbem, ab imis terræ fundamentis, ad cœli vſq; culmen ſoluet, perdet, amburet. IGN. Si ſubſtantiam, ſi ſpeciem, & actionem iſtiuſmodi ignis, quo perdẽdus eſt hic mũdus, ſcire quenquam dedecet: edoce tamen me obiter nonnulla eius ſigna atq; veſtigia. SAP. Cùm olim ignis ab offenſi Dei ira decidens in Pentapolim, repente non ſolum omnẽ terram & agrum quinq; vrbium penitus ambuſsit: ſed ebullientibus aquis ex abyſſo, vertit regionem totam in mare ſalis, quod hodie mortuum vocant, aut Aſphaltidis lacum: quem quæſo putas hunc ignem fuiſſe? an elementarem, an alium quendam, qui tam properam & inopinatam peregit in peccatores, & in eorum vrbes, offenſi Dei vltionem? IGN. Vix dicere auſim, hunc ignem fuiſſe elementarem: quando quidem conſtet elementari igni actionem ineſſe non tam procacem; imò plus ſeram, & longè lentiorem. SAP. Nam elementaris ignis, ſicut ſcitu & loco inferior eſt orbibus cælorum, ita & ne putes hunc ignem in cælos vllam agendi vim habiturum, vt fiant cæli eius pabulum. IGN. Rationabile non eſt, nec ſimile veri, vllum in cœlos agere poſſe elementum. Id enim eſſet incorruptibilẽ ſubſtantiam à corruptibili ſubſtantia pati, & in excidium mitti. SAP. Rurſum cùm Nadab & Abiud, filii Aaron, ignẽ alienum coram Deo in deſerto obtulere: quid tum accidit ipſis? IGN. Deſæuit illico ſuper eos iuſta & legitima Dei vltio, qua in momento, & in ictu oculi ab igne inuiſibili de-

uorati, coram omni Hebræorum multitudine periere. SAP. Exiſtimas eos ab elementari igne deuſtos periiſſe? IGNOR. Nequaquam. SAP. Cui igitur igni, inſolitam hanc tribuis eorum necem, necnon & cæterorum omniũ, qui ſub Moyſe in deſerto ab igne Dei conflagrauere? IGNOR. Igni diuinæ ſolius excandeſcentiæ & iræ, qui viros diuinæ legi rebelles, & irreligioſe coram Deo agentes, repente vltus ſit, & perdiderit. SAP. Nam ſi verbum Heliæ prophetæ, vt in ſacris eloquiis eſt, ſicut facula ardebat: quanto magis voraciſſima diuini verbi flamma in fine mundi præualebit, ſuſcitabitq́; famoſum & toti vniuerſo exitiale incendium? Sicut legimus in pſalmis: Domine iraſceris in finem, exardeſcet ſicut ignis zelus tuus. Et vt propheta Malachias habet: Ecce, inquit, dies veniet, ſuccenſa quaſi caminus. Tota enim ſacra eloquia hanc annunciant pauendam diem, formidinis & horroris plenam, quæ per ignem, toti mundo poſitura eſt finem. IGNOR. Poſt hæc ſacrorum eloquiorum teſtimonia, nihil iam addubitandum mihi eſt, hunc ignem, qui perditurus ſit mundum, & omnia quæ in eo ſunt: ſicut elementari igne longe efficaciorem, ita & diuerſitate ſpeciei late ab eo diſtinguendum. Sed adhuc demiror, ſi hic ignis in cœlos aget, & eorum ornatus vſquequaque perdet, & prorſus abſumet. SAP. Cur de cœlis nunc reuolueris in ſcrupum, cùm iam prorſus nullam huic igni corpoream & viſibilem mundi ſubſtantiam fore ſuperſtitem didiceris? IGNORANTIA. De elementis, quæ cotidiana generatione & corruptione, inuicem permutantur; deq́; eorum plenitudine, nulla deinceps dubietate ſuſpendor, quin fatalis mundo ignis hæc penitus in fine perdat & amburat. At verò de cœlis (quia eorum ſub-

ſtantia

ſtantia permanens eſt, & nec generationum aut corruptionum viciſsitudinibus obnoxia) ſufficiens cauſa me attollit in ammirationem. SAPIENTIA. Fruſtra ob id, diſcuſſæ dubietatis cicatrices renouare contendis: haud diffiteor enim, diſtinctiſsimam quidem eſſe, longeq; præſtantiorem, quippe permanentiorem ſubſtantiam cælorum à ſubſtantia cùm elementorum, tum earum omnium rerum, quæ in elementis degunt, vt pote generabilium & corruptibilium: Attamen id quidem, terribili igni iræ Dei nihil obſiſtet, nec illius vim puncto imminuet: neque demum pulchritudini ſubſtantiarum cæleſtium parcet, quas ab immenſo illius vigore, & inextinguibili ardore nihil defendet. quominus hæ quidem, quæ ſunt præfulgida & ſublimia huius mundi mœnia, cùm elementis, & tota eorum plenitudine, flammeſcente ſuprema Dei ira, veniant in exterminium, quod zelus Dei ſuſcitabit per ignem. IGNO. Satis iam edidici hunc ignem haud fore elementarem. Verùm elementari igne longe & origine altiorem, & in agendo efficaciorem. SAP. Erit enim hic ignis zelus diuini verbi, quo ſicut ab initio Deus condidit mundũ, & in fine ſolo eiuſdem verbi imperio delebit ſpecioſum, quem patrauit, totius mundi ornatum. IGN. Hæc vtiq;, quanquam me delectent, nihilo ſecius tamen etiam plurimum deterrent. Delectant quidem, quia & prodeſt, & iucundum eſſe debet, audire, ac diſcere ea, quæ vera ſint: deterrent autem, & formidinem incutiunt non modicam, quotiens immemor non ſum, vt leui carmine ſuccinam;

Quiſq; homo, quàm miſera degit mortalis in vrbe,
Quam tandem in cineres, vltima flamma dabit.

SAPIEN. Quia extemporaneo luſiſti carmine, dignum

eſt viceuerſa, vt & ego, lyræ reddam lyram, qua mundi huius exitium,& flebilem recẽtum lugubri palinodia promulgem,ô Ignorantia:

Aſpice quàm miſere confidis mœnibus vrbis:
Vna nanque die,cæli elementa ruent.
Ignis edax flamma diſperdet cuncta veraci:
Omnia quæque vides diſce futura cinis.

Et ſi tibi haud ſat eſt exiguum iſtud,quod luſi, carmen:audi Ouidium, neſcio à quo ſpiritu, hæc de venturo mundi excidio concinentem:

Eſſe quoque in fatis,reminiſcitur affore tempus,
Quo mare,quo tellus,correptaq; regia cæli
Ardeat,& mundi moles operoſa laboret.

IGN. Demiror certè virũm poëtam, gentilicia ſub nubæ natum,hæc inſignia & alta magni Dei momenta, ſolis ferè iis,quos Deus elegit vix intellecta noſcere potuiſſe. SAP. Haud ii,crede,ſoli quos elegit Deus,hæc Dei myſteria nouere ſed & plurimi gentilium ſapientum,ſub cæca idolorũ nube viuentium, non ignorauere,quo exitu huius tandem mundi mirificentia, ſit claudenda. Quos forte aut ſecreta reuelatione,aut inſpiratione aliqua,Deus eius rei certiores effecit:vt hoc pacto nullum hominum genus excuſabile ab effectu boni operis videretur. Quin noſſet ſe quilibet, in ſupremo Dei iudicio aliquando ſiſtendum: & cùm operũ ſuorum rationem ad illius tribunal redditurum,tum recepturum vel inſignem bonorum operum mercedem,vel infelicem malorum, quæ egerit,talionem. IGN. Adhuc, ô ſapientia, dubietas quædã cor intus ſuppungens quieſcere me non ſinit, inſtigatq; vt te rurſum interpellem. SAP. Quæ? IGN. De ſupremi ignis actione:an ſcilicet hic ignis in fine ab irati Dei vultu & flatu excutiendus, in maioris mundi

mundi corpora, ideſt, in cælos, & in elementa ſic aget, vt ea prorſus exurat:& vel in nihilum, vel in cineres & in fauillas ea adducat. Aut an eo duntaxat vſq;,nec vlterius, in eis aget, vt ea ſolùm ab impacta hominum labe & contaminatione quoquopacto expiet, & nuſquam totas eorum ſubſtantias deleat, vel penitus abſumat. SAP. Euidentius paulo exhibe interrogatū iſtud tuum. Nam vulnera, quibus petitur medela, haud ſunt abdenda in occulto, ſed retegenda chirurgo. IGN. Id quidem eſt quod peto: An ſupremus ignis ſic in cælos & in elementa aget, vti ſolet publicus ignis in ligna,& in quælibet ignibilia agere. Aut an ſolummodo in ea aget,ſicuti ſolet ignis agere in ré inuſtibilem,vti in ferrum, cùm illud ab igne candeſit:aut in vas luteum , quod aliquo pacto fuerit ſordidum & inquinatū. Ferrum enim, & luteum vas, ab igne quidem aliquatenus expiantur: non verò prorſus ab illo abſumuntur. Ita forte crediderim ſat eſſe Deo,vt ab ſupremi ignis vigore & cæli,& elementa,dūtaxat à ſua labe,quam impinxit illis cùm dæmonum,tum hominum manſio inſtar ferri,& vaſis lutei,quoquopacto expiantur:& non prorſus vel in nihilum eant, vel diſpereant in cineres. Fruſtra etenim pluribus fit, quod poteſt paucioribus abſolui. Nempe neceſſarium non fuerit eo caſu Deum in fine nouam recreare & inſtaurare mundi fabricam,vbi ſufficienter,veteris machinæ contractam cumprimis à dæmonum perfidia Dei hoſtilitatem: deinde ab hominum ſceleribus paré inquinationis luem: deterſerit formidandum iudicis ignis incendium. SAP. Videtur percontatio tua aliquanto minus, quàm deceat, de immenſa Dei ſperare potentia. IGN. Haud tamen addubito,Deum nihil per ſeipſum non poſſe:vt qui ſit immenſæ virtutis,& potētiæ prorſus incircunſcriptæ. SAP. Ideo te-

quidem de immenſa Dei potentia minus quàm par eſt ſperare dixi: quia adieceris, ſat forte eſſe, vt ab ſupremi ignis vigore & cæli & elementa, ſolum expientur, & non tota ſui exuſtione prorſus tabeſiant. Ne Deus, velut noui mundi opere & recreatione fatigandus, vel exhauriatur, vel vt anhelus, & virtute penè deficiens in reparanda ſoluti mundi mole laboret. Qui tamen innumeros, ſi vellet, creare & producere mundos, per ſe ipſe ſufficeret. Nam cùm, vt rite dixiſti, nihil ſit impoſsibile apud Deum: etiam & crede, non magis illi arduum eſſe nouum recreare mundum: quàm difficile non ſit ipſi, corpus hominis, à morte & putredine ſolutum, lapſumq; in cineres, rurſum in priſtinæ formæ reuocare decorem: quod quidem operis in omnium reſurrectione momento, & labore nullo, patraturus creditur. IGNOR. Non igitur ſatis erit Deo, cùm in fine exardeſcens illius ira vniuerſorum peccata vlciſcetur, vt mundus ab ſupremo igne, velut vel ferrum candens, vel luteum vas ab inquinationis ſuæ lue expietur. SAPIENTIA. Haud ſatis profecto id vindici malorum Deo fuerit, vt qui cùm immenſæ ſit virtutis, & inexhauribilis potentiæ, omnia ſe facturum, in fine noua promiſerit: tum ſacri euangeliſtæ ore iſtud eloquium fudit: Ecce, inquit, noua facio omnia. IGNORANTIA. In his adhuc hebes ſum, & recenti dubietate ſuſpendor. SAPIENT. Qua? IGN. Hæreo enim anceps, an poſt ſeculi conſummationem, rurſum inſtaurante omnia Deo, noua prorſus fient ab eo omnia, ſicuti ab initio. Cum enim nondum aliquid feciſſet ipſe, è nihilo omnia procreauit. Ideſt, an ſupremi ignis efficaciſsimus vigor omnẽ corporei mundi machinam exufflabit, exurétve vſque in nihilum, ſicut prius: vt ob eam

cauſam volens Deus nouum inſtaurare mundum, cogatur illum excitare prorſus è nihilo, & è chao non entis. Quod ſi ita fuerit, par prorſus erit ſecunda dei actio in inſtauratione, & recreatione noui mundi, primæ ipſius actioni, qua præſentem mundum creauit, vt credimus, è nihilo. Idq; nullius quidem ope, aut conſilio, aut prece, aut adiutorio: & ex nulla demum præexiſtente ab æterno materie. SAPIENTIA. Profundis, ô Ignorantia, interrogationibus me vt reſpondeam compellis. IGNORANTIA. Auiditas, qua langueo, ſciendi vix quieſcere me ſinit. quoad abs te didicero cuncta ea, quæ de mundo nouero non reticenda, ſed ſcitu digna. SAPIENTIA. Vtere in iſtis, priore analogia humani corporis: & hæc illico tuæ iſti percontationi iuſtâ proculdubio exolutura eſt. IGN. Doce ergo me modum, quo ſit mihi prioris analogiæ proportione in iſtis tam profundis vtendum. SAP. Iſtud quidem eo accipe modo, vt memineris eius, quod iam ſemel dixi, Tantam ſcilicet ſupremi ignis, futuram agendi facultatem ac vigorem in exterminio mundi, quantam cotidie vim mortis eſſe experimur in reſolutione humani corporis. Haud enim plus aget ſupremæ conflagratio flammæ in ſoluenda mundi harmonia: quàm aſsidue cernimus violentam mortis agere manum, per quam exanime hominis corpus per putrefactionem ſui, vſque in cineres extabeſit. Pares enim ſunt ambarum, ideſt & mortis & ſupremæ flammæ vires: quibus ſuorum ſubiectorum, ſcilicet tam humani corporis, quàm mundi totius perniciem, ſupremáve excidia moliantur. IGNOR. Mortis actio in exanimi hominis corpore haud omnino vſq; in nihilum graſſatur. Quippe quæ âd ſummum, ex eo reſiduum linquit puluiſculum,

in quo

in quo nihil deinceps inimica vis mortis eſt potis agendi. S A P. Nam ſicut nuſquam ex nihilo ſola naturæ virtute aliquid fit: ita & fieri nequit, ſaltem ex ordine & conſuetudine naturæ, vt aliquod ens, vlla ſui corruptione, relabi queat vſque in nihilum. Omnis enim mundi huius ſubſtantia, poſt extremam ſui diſſolutionem, linquit ex ſe reſiduum nonnihil. I G N. Ergo & ſupremus ignis poſt huius mundi exterminium aliquídne linquet ex illius caſu & interitu reſiduum? S A P. Linquet profectò ex eo nonnihil, ſicuti & audiſti, mortis actionem ex humano corpore linquere ſaltem quiſquilias cinerum. Impoſsibile etenim eſt, ſupremi ignis vigorem in excidio mundi agere vſque in extremam rerum vmbram, totamq; priuationem non entis. I G N. Quid ergo ſupererit poſt actionem ſupremæ flammæ è formidando totius mundi exterminio? S A P. Conſimile quiddam, reſiduum fiet huic quod cotidie ſupereſt in humanis corporibus, poſteaquã hæc à morte exanimata, vel à vermium corroſione, vel ab incẽdio, vel tabo, vel alio quouis incommodo in extremã ierint perniciẽ. I G N. Summa & extrema poſt mortẽ humani corporis pernicies nõ illud prorſus in nihilum extrudit: quæ reſiduam ex eo facit, linquítve ſaltem aridam, & nullius humoris ligamine, connexam, cinerum ſubſtantiam. S A P. Etiam crede, & extremum huius mundi excidium, ab ſupremi ignis acumine, haud omnino ſubſtantiam mundi deducturum vſq; in nihilum: ſed vel reſiduos cineres, vel minutiſsimas primæ materiæ atomos, vt ab omni ſolet incendio licturum. I G N. Agnoſco iam ſimilitudinem prioris analogiæ, quæ ſcrupo meo belliſsimè medetur: me quidem erudiens, parẽ prorſus eſſe vim duorum iſtiuſmodi agentium: ideſt & mortis, & ſupremæ flammæ: huic in excidio mundi, illi in

exterminio humani corporis: & in vtroq; excidio conſimile quiddam linqui:nempe vel cineres ſupereſſe, vel materiam primam. SAP. Haud igitur ſecundam Dei actioné in inſtauratione & recreatione noui mundi dic prorſus conſimilé futurã priori illius actioni,antequã cũ nil omnino ſubſiſteret, creauit per eam húc Deus è nihilo mundũ. IGN. Diſsimilitudo,ni fallor,in his geminis actionibus Dei haud aliunde exorietur,quàm à primæ materiæ hypoſtaſi. SAP. Probè.Etenim in prima Dei actione,hoc eſt in huius creatione mũdi, nullũ præcurrit æternæ materiæ iuuamé. Aſt in ſecunda Dei actione,qua hunc mundum igne in cineres ſolutum,Deus excitaturus eſt,præſens aderit neceſſarium reſiduæ materiei adminiculum:præbens quidé Deo, quoddam ſperma,& præſentaneum inſtaurandi mũdi ſeminarium. IGN. Vt igitur prima Dei actio,qua mundum genuit,facta eſt è nihilo,atq; è nulla præexiſtente materia: ita & ſecundam actionem illius, qua mundum innouabit, arbitrari me decet, haud abſq; prioris materiæ ſpermate, & vtili ſeminario,abſoluẽdam. SAP. Id ſanè de vtraq; Dei actione erga hunc mũdum arbitrari te operæprecium eſt, vt primæ & abſolutiſsimæ Dei actioni nihil prorſus ſubminiſtres,æterni adminiculi, aut præuii ſpermatis. Poſteriori auté,quæ extra ſummæ deitatis horizonté ſe effudit, ſubdas præcurrentis materiæ initium, ac vtile ſeminariũ. IGN. Simile igitur quiddam fiet, in inſtauratione mundi, ſicuti & euenturum credo in ventura reſurrectione corporum. SAP. Nihil incommodũ id ſentire. Etenim in futura reſurrectione Deus humana corpora haud prorſus è nihilo excitabit. Sed è relicto cinere, & ſuperſtite eorum materie, ea iterum,non modò in priorem reducet ſpeciem, verùm & priores animas,quas hac in vita geſſere,illis denuo

ſociaturus eſt. I G N. Quia hactenus à iuſta, & vtili tuæ analogiæ ſimilitudine, eouſq; eruditionis profeci, vt per humani corporis excidium agnoſcerem, quale etiam, & quantū, futurum ſit ab ſupremo igne, mundi huius exterminiū: rurſum percontabor vnum, in quod etiam, ab eiuſdem analogiæ tuæ proportione compellor. S A P. Percontare quod lubet: nondū enim tuis ſatagere poſtulatis ignauiter me aut piget, aut tædet. I G N. Quin etiam alta adhuc dies ſatis horarum ludo iſti noſtro pollicetur. Petā igitur id quod rurſum me angit. An, inquam, eundem in numero Deus mundum inſtaurabit? An duntaxat eundem in ſpecie: numero quidem diſtinctum, ac diuerſum ab iſto, in quo nunc viuimus mundo? S A P. Quanto plura tibi diſcutio dubia, tanto pluribus mihi ſcrupis moleſta es, & nunquam mente ſatur. I G N. Temerè alioqui, & ſine cauſa, dicerer ignorātia: ideſt ſemper mentis vacuæ, pectoríſve eſurientis & ieiuni: niſi tibi, velut inclytæ matri, me ipſam in diſciplinam ſubderē. Cui quidem vt ſemper fecundæ, & vberi, & lucis plenæ, aſſiduè plura interrogando, moleſta fierē. Sed oro te, adeſto in his ocyus, alumnæ tuæ: & cùm eſculenta & opipara ſis, eſcam eſurienti mihi, affatim propina. S A P. Vtere adhuc, ſi vis, metro & ſimilitudine prioris analogiæ: & rem quam petis, inuenies nihilo arduam, nec à mentis captu longinquam. Immò pone te à limine & pro foribus adſtantem. I G N. Edoce ergo me rurſum, quopacto ea in re vtar fibula prioris analogiæ. S A P. In reſurrectione humani corporis, percontor abs te, idémne corpus in numero, & non ſolum par in ſpecie, in ſingulis hominibus reſurget? I G N. Didici, quod & ritè memini, idem prorſus iuxta numerum corpus è ſuometipſius puluere ſubrecturum. Alioqui non ſinguli homines, prorſus idem, & indiuidui, & ſingulares reſurgerent:

rent:ſed duntaxat in ſpecie pares,& conſimiles.SAP. Vnde quæſo,id perpendis: ſcilicet in reſurrectione futuram eorundem prorſus corporum ſingularem eiuſmodi & indiuiduam identitatem? IGN. Si ritè ſapio,auguror hanc identitatem corporum attendendá haud aliunde,quàm ab ipſa ſolius identitate materiæ. Quæ quidem cùm prius ſpecioſam corporis figuram,ac decoram geſſerit, & poſtea eandem rurſum figuram habitura ſit:etiam illam eandem felici coniugio reſumet,geſtabitq;,quam prius hoc in æquore euexit animam. SAP. Bellè,& rectè in his iudicaſti. Nam ſi Deus vel è nihilo,vel è diuerſa quauis materie, ſeu è puluere diuerſo, vel ex re quapiá impertinente excitaret alicuius hominis corpus:cenſeréſne id quidem corpus, cum priore eius hominis cadauere fore idem in numero:& iuxta ſaltẽ ſingularitatẽ indiuidui entis,eſſe prorſus vnũ, & nõ diuerſum? IGN. Nequaquam. Sed idem duntaxat id eſſet in communitate ſpeciei. Nec enim is etiam homo,qui in eiuſmodi corpore reſurgeret,eſſet prorſus idẽ homo in numero,qui fuit prior. SAP. Dic igitur vbiq; eo pacto de mundo,ſicut & iſtic modo de homine bellè iudicaſti:Eundẽ ſcilicet hũc ſingularem mundum in numero , & non ſolum in ſpeciei vnitate conſimilem , & parem fore à Deo inſtaurandum. Quia ex eadem prorſus materie,qua iſte antea ſubſtiterit, Deus nouum excitabit. IGN. Mors itaq; reſoluens cuiuſuis corpus hominis in cinéres,haud illius demutat numerum, nec variat ſpeciem. SAP. Nõ. Oportet enim vniuerſos,qui ſubiacuerũt morti,in eodem,& ſpecie & numero,corpore à morte reſurgere. Quemadmodum & Chriſtum,qui primitias reſurgentium inchoauit , in ſui corporis numerali, ſeu ſingulari identitate , reſurrexiſſe catholica fides credit & docet. IGN. Secus longe eſt de Chriſto,ac de cæteris hominibus.

minibus.SAP.Quamobrem? IGN. Quia Chriſti caro non vidit corruptionem:nec illius corpus vſquã ſolo trium dierũ ſpacio extabuit in ſepulcro.SAP.Sicut diuina voluntate & prouidentia præcogitatũ fuerat ab æterno:ita & denũnciatione prophetica,factum eſt iſtud,vt inclytus dux reſurrectionis vniuerſorum Chriſtus nullam incurreret ſui corporis corruptioné,& putrefactionem.Et vt nõ tam aut virtute aromatũ, aut temporis ideſt tridui modicitate, quàm diuina cuſtodiente potentia, eius caro ſtaret aliena à vermibus.Sed tamen nihilominus & cæterorum omnium hominũm corpora, quanquam aut temporis longinquitate, aut quouis exterminante incõmodo in cineres ſoluta,prorſus ſingularia,indiuidua,& eadem in numero,è ſuo ſingula puluere reſurgent:& eaſdem ipſas,quas prius tulere animas recipiẽnt:& ex inſuper amborum glomere iidẽ prorſus,qui prius vixere,homines coaleſcent. IGN. Igitur & de mundo me quidem eõ ſentire modo iubes:vt dicam,ſupremum ignem , quo ſoluenda ſit pulcherrima huius mundi harmonía;haudquaquam tanti vigoris futurum,vt vſq; in nihilum omnia voret,& linquat prorſus nihil, demutaturusq; ſit ſingularem iſtius mundi numerum.Quemadmodum & mors humano corpori afferens excidiũ,haud vſq; in nõ ens graſſatur ac ſæuit:ſed ad minus ſimpliciſsimam linquit hilen,ob quam ideo demutare & variare potis non eſt ipſum corrupti corporis indiuiduum & numerũ. SAP. Iſtud ſanè eſt, quod ex virtute prioris analogiæ te quidem de mundo ſentire operæprecium ſit: Scilicet;vt ob identitatem primæ materiæ(in quam,vt pote reſiduam, ſupremi ignis vigor,huius mundi pulchritudinem reſoluturus creditur)dicas eundem prorſus in numero hunc mundum è ſuo ſpermate excitandum. Identitas quippe materiæ, quæ

vel

vel ſola in ſingulis ſuperſtes fit, cauſam hanc totam affert identitatis numeri. IGN. Quid ſi Deus,aut ſupremi ignis vigore cũcta exurẽs,aut abſoluta ſua potẽtia ſeuerius agẽs, hunc anni hilaret mundũ, ſolueretq; eũ penitus in nihilũ? Et rurſum,ſicut iſtum primitus è nihilo adeſſe duxit,ita & nõ tã iſtius deuſti,& in nihilũ lapſi,detrimẽta ſarciret,quã nouũ prorſus aliũ è nihilo conderet,atq; inſtauraret.SAP. Nunquid legiſti in cãtico Moyſi,Ignis ſuccenſus eſt in furore meo,& ardebit vſq; ad inferni nouiſsima:deuorabitq; terrã cum germine ſuo,& montium fundamenta cõburet. IGN. Legi & quidem frequentiuſculè:quod & quotidie,in ore eſt hominum ſacerdotũ.SAP.Id ſanè euidens teſtimonium affert,omnem quidem mundi ornatum ab ſupremo igne peniturũ:attamen haud vſq; in nihilũ,conſummationem fiendã. Per id enim quod ibi canitur, vſq; ad inferni nouiſsima,& montiũ fundamenta:intellige materiã omniũ primã,rudẽ atq; informẽ(quã chaos, ſeu hilen philoſophi dixere) futurã ſuperſtitẽ, velut quoddã inſtaurandi à Deo mundi ſemen.IGN.Quid ſi tamen hunc mundũ Deus perderet vſq; penitus in nõ ens.SAP.Haud facturus eſt Deus, id quod neceſſariũ non eſt,nec operæpreciũ.Et ſi quidem hoc faceret,(& enim id poteſt is,cui impoſsibile eſt nihil) hic tamẽ nouus quilibet mundus,quẽ è nihilo procrearet, ſicut & priorẽ iſtum , è nõ ente genuit & fecit, haud eſſet cum iſto,in quo viuimus mundo,vniuocus,ſiue in numeri identitate vnus:ſed varius,æquiuocus, & prorſus alter:nempe cũ iſto commune gerens nihil, præter forte longinquã quandã identitatẽ ſpeciei.Haud enim ſubeſſet vtriſq; eadẽ in numero hypoſtaſis,nec communitas materiæ:quã ſublata,tollitur mox & mundorum cognatio, deperit identitas omnis, vnióve & identitas numeri prorſus abrogatur.

IGN. Mirum igitur in modũ, obſeruanda eſt identitas ſuperſtitis materiæ in omni exterminio:ſiue in corporis quidẽ humani ſolutione & putrefactione, ſiue in huius totius mundi interitu,à ſupremi ignis incẽdio. SAP. Atq; id quidem non abs re:vt reparandorũ poſt ſua excidia eorundẽ entium vniuocũ ſeruetur,& æquiuocũ vitetur. IGN. Seruat ergo materiæ identitas,in omni exterminio reſidua, vbiq; vnitatem numeri:tã equidem corporis humani in reſurrectione,quã mundi iſtius,in ſua à Deo inſtauratione. SAP. Seruat indubiè. Nullũ etenim aliud commodius vinculũ ſuccurrit menti in identitate,tã reparandorum corporum, quàm inſtaurandorum mundorũ concilianda,præter reſiduam hylen,ſeu ſtabilẽ materiæ identitatẽ,quã philoſophi nimirũ omnes & ingenerabilẽ & incorruptibilẽ tradidere. Demũ niſi ſubuererer te in prolixioris ſermonis coniicere tædiũ, rurſum à Chriſti perſona, de qua paulò antè nobis incidit ſermo,extorquerẽ ſimilitudinem, qua ad vtriuſq; mundi cognationem valido ſcabello ſubueherere. IGN. Ad ſimilitudinem,quam extortura ſis à perſona Chriſti,tanto fuero auribus & corde propenſior, quanto de Chriſto ſermo mihi iucũdior. SAP. Deus cùm veterẽ humani generis reatum ab illius,vt ita dicam,abblabea,ideſt inobedientia exortũ, ſanare voluit:nónne nouum hominẽ Chriſtum in terris ad id naſci à ſeculo perordinauit? IGN. Id quidẽ myſterii eſt,quod catholica fides tradit,quod etiã humanæ totius reparationis eſt origo. SAP. Natiuitas ergo Chriſti,vtpote noui & inſoliti hominis, nónne reparatio quædã eſt, & innouatio humanæ ſpeciei? IGN. Eſt vtiq;,cùm per eam, releuata ſit hominis ruina,& innocẽtiæ priſtinæ reſtituta. SAP. Si Deus hunc nouum hominẽ Chriſtum,nequaquam è cæterorum hominum ſubſtantia & ſpecie naſci feciſſet:

ſed hunc è terra,inſtar primi parétis Adæ,ſolo verbo procreaſſet,peto abs te,fuiſſet'ne hic nouus homo è terræ limo factus tollendæ aliorum hominum noxæ & reparandæ ad Deum eorum ſpeciei aptus & idoneus? I G N. Supra ſenſum meű & ingenii vires iſtud quidé quod rogas eſt, & nec eſt in labiis mihi præſto,quid ſim reſpőſura. S A P. Aliud interim ſciſcitabor,vt ſubinde cű iſtud diſcuſſeris,in ré tantiſper omiſsã opportune reuoluar. Dic,oro te,mihi:ſi Chriſti humanitaté,Deus inſtar primi Adæ è limo terræ ſua manu procreaſſet:& non è noſtri generis muliere naſci illum decreuiſſet:quam,quæſo,cognationé & affinitaté cum vniuerſo hominű genere habuiſſet? I G N. Exiſtimo quoniam prorſus nullã:vtpote qui æquiuocus homo fuiſſet & heteronymus,hoc eſt,è cõmuni, & prolifica cæterorum hominum ſubſtãtia progenitus ac natus. S A P. Quia igitur æquiuoca fuiſſet,& abrupta à ſtirpe cæterorű hominum Chriſti ſubſtantia,& nullius cognationis vinculo eorum ſodalitio adalligata:quî putas,iſtiuſmodi noui hominis Chriſti natiuitatem,paſsioné,& iniuſtam necé, potuiſſe vllo pacto cæterorum hominű prodeſſe languori, alioqui incurabili: eiſq; neceſſariam adferre medelã? I G N. Reor ego, quoniã æquiuocus hic homo haud idoneus fuiſſet,qui cæteris origine ſubſtantiæ diſpari(non ſpecie)hominibus ritè mederetur. S A P. Oportuit ergo eum,à quo cæteri ſanari debuere,è propria,& eadem cæterorű hominum ſubſtantia,licet diſsimili modo,ideſt & è matre virgine,& abſq; peccati labe naſci. I G N. Oportuit ſanè:vt iam diffiteri id non auſim. Sed exhibe,quæſo,eius obiter rei cauſam. S A P. Id quidem ideo neceſſariű fuit,vt in ſimilitudine,paritate,& affinitate eius ſubſtantiæ, quæ peccauerat, per iniuſtam vnius innocentis necem,excuteretur antiquum onus peccati à iugo &

ceru

ceruicibus aliorũ hominũ. Nec enim vnius æquiuoci hominis,idem,in ſolo productionis modo à cæteris diſiuncti vix; immò verò nuſquam, ſuæ medelæ vim in diſpares & ſubſtãtiæ procreatione incõmunicantes homines fudiſſet. IGN. Vim enim & virtutẽ cuiuſuis medelæ facilius eſt inter conſimilia & propinqua entia diffundi,quã inter diſsimilia,& nihil propinquitatis habẽtia,propagari. SAP. Ideo enim & in eadẽ prorſus atq; in ipſamet ſubſtantia quæ peccauit,operæpreciũ fuit cumprimis per vnũ,ẽ virgine natũ, redire candorẽ innocentiæ. Deinde & per eius innocentis necem cõuelli à cæteris noxiã mortis ſpinã,cunctisq; reddi exoptatã vitæ medelã. Intelligis igitur, quorſum iſta noui hominis,ideſt Chriſti, cũ cæteris ſimilitudo deuergat; & quid per eã cõficere moliar? IGN. Intelligo. Vis enim,vt per Chriſti ſimilitudinẽ,quem cũ cæteris hominibus vniuocũ & ex eadem prorſus eorũ ſubſtãtia naſci Deus fecit, diſcã eũ quidem mundũ,quem Deus poſt iſtius ruinã ſe inſtauraturum promiſit, haud futurũ cum iſto, in quo viuimus, æquiuocũ,nec ſubſtantia penitus ab eo diſiunctũ:ſed vniuocum,cõſimilem,& ſubſtantialis propinquitatis iure con finem:immò prorſus & ex numero eundẽ.Quãdoquidem hic ex materia prorſus eadem cõſurget, quæ ab iſtius exci dio ſuperſtes fuerit,& igni omnia perdituro reſidua. SAP. Alioqui noui reparatio mũdi haud eſſet inſtauratio iſtius, ſed alterius cuiuſpiã mundi, cum iſto prorſus æquiuoci,& incommunicãtis reparatio. Sicut enim in humani generis reparatione didiciſti ſeruandã eſſe noui hominis Chriſti cum cæteris hominibus ſubſtãtiæ & ſanguinis propinquitatem:ita in mũdi inſtauratione,dic obſeruabilẽ fore iden titatem ſuperſtitis materiæ, à qua amborũ mundorũ cognationem,& identitatem numeri auguremur. IGN. Nũc

verò

verò rurſum opportunè ingruit locus, vt quia de materia ſermo impræſentiarum ſe ingeſsit, vt iterum de ipſa nonnihil abs te perconter. Nónne enim ſicut creata eſt hæc à Deo, ita & rurſum extrudi à Deo poteſt, vſque in nihilum. SAP. Vtique. Et creata quidem eſt à Deo materies, & extrudi ab illo rurſum poteſt eouſque, vt penitus non ſit: quanquam id quidem exterminii non fiet. Explóſus ſiquidem eſt dudum, à catholicæ fidei ſanctitudine error eorum, qui materiam pro diuini totius operis hypodoche, fecere Deo coæternam. Nam Deus in primi ſui operis conditione, cum ab æterno, & ante ſecula eſſet ſolus, & tamen abundè ſufficiens tam ſibiipſi, quàm vniuerſo operi, quod condere voluit: hinc tam dignum opus, non ex aliqua præcurrente ſubſtantia, velut adiutrice compleuit: ſed per ſeipſum ſolum, prorſus è nihilo illud patrauit & fecit. Et tam materiam etiam ipſam, quàm ſequentia exinde entia, è non ente, & è nihilo procreauit. IGN. Hactenus de materia factum ſatis ſit mihi. Sed interrogatio adhuc vna titillans quieſcere me non ſinit: quam vbi ſua ratione compeſcueris, aderit opportunè, vt voles, noſtræ iſtius collocutionis finis, & iuſtiſſima ſilendi meta. SAP. Prome hanc in lucem ocyus, vt ſole iam in veſperum inclinante, maturè receptui canamus. IGNOR. Poſteaquam vorax, ſupremi & vindicis ignis flamma, ſublimia & excelſa, vt ita dicam, mundi huius mœnia euerterit, æquaueritq; ea ſolo: & ſubinde omnem quoque viſibilium rerum decorem in primæ ſolius materiæ deduxerit perniciem ac deformitatem: quæſo tum dic, quandiu mundus hic in ſuæ ſolius hypoſtaſeos chao ſilebit quantillóve temporis ſpatio deformis, & omni exutus ſpecie, ac decore, in puluere iacebit, priuſ-

quam noua ſuccedentis mundi harmonia à Deo excitetur, ac ſurgat? SAP. Alta nimis rogas Dei momenta, ſoli diuinæ ſapientiſsimæ menti, ab hominibus linquenda. Quæ cùm, iuxta ſcripturam, pater in ſua ſolius poteſtate poſuerit, etiam angelis in cælo tantam rem occuluit: & nec eam illis, licet entium primatibus, patefecit. IGNOR. Ideo hæc myſtica rogare audax præſumo: quia cùm & ſis, & voceris Sapientia, quæ ex ore altiſsimi prodiſti: reor iuxta nomenclaturæ tuæ omen (nec fortè decipior) ignotum tuæ circumſpectioni eſſe nihil. SAP. Eſto, id quidem ſecreti haud procul ſit à me: tamen quia ſobriè, & ad menſuram ſapere homines iubentur: ideo in his me decet vti loro & parſimonia labiorum. Etenim omnibus omnia paſsim adaperire Dei myſteria, nec tutum illico, nec plus etiam fuerit. IGNOR. Si iſtud quidem, quod rogaui, dedecet, & illicitum eſt mihi propalari, abibo hinc libens, non modo ſobria & parca, ſed eatenus animo ieiuna, & vacua. SAP. Quia importuna nimis es, & perauida ſciendi: haud omnino in hac percontatione tua tibi defuero. Nec ingenuum ac ſiticuloſum deſiderii tui ardorem feſellero. Habes enim præ manibus ea in re Eſdram prophetam, qui de ſeculi huius & excidio, & inſtauratione loquens, Et conuertetur, inquit, ſeculum in antiquum ſilentium diebus ſeptem, & poſt dies ſeptem excitabitur quod nondum vigilat ſeculum. Ecce audis à viro propheta, quoniam in ſeptenarii dignitate, & in myſtica hebdomade dierum reuoluendum ſit hoc ſeculum in priſcum ſilentium. Et poſt exactam ſeptem dierum climateram aſſeueret excitandam iterum à Deo ſolutam & in ſilentio ſuo marcentem mundi huius harmoniam. IGNOR. Quanto igitur

tempore

tempore Deus, vel è liquida aquarum ſubſtantia, vel è tenebris, quæ ſuper faciem erant abyſsi, vel ex chao informis materiæ, huius mundi ornatum ad perfectionis apicem euexit: tanto rurſum ſpatio hic mundus, ſupremi ignis voragine ſolutus, in ſuo puluere ſilebit. SAPI. Aequo nimirum, pariq; ſpatio, ideſt in myſtica heptade, ſeu climatera dierum, cenſuit Deus diuidi ac diſtingui oportere vtriuſque ſeculi interualla: vt pote qui ſicut ſeptem diebus viſibilem huius mundi pulchritudinem ex rudi & informi primæ materiæ chao ad eſſe deduxerit: ita & poſt climateram ſeptem dierum: rurſus immortalem noui mundi concentum, inſtauraturus ſperetur. IGNORANTIA. Quid hic Eſdras propheta antiquum vocat mundi ſilentium? id enim nondum edidici. SAPIENTIA. Per id innuit rudem & informem materiæ hypoſtaſim, obſcurumq; vultum prioris abyſsi, formarum & ſpecierum pulchritudinibus, vt prius, anhelò deſiderio inhiantem. Etenim quanquam Deus hunc mundum prorſus è nihilo ad eſſe duxerit: primum tamen, & antè omnia, rudem ipſam, & informem materiam procreauit: ex qua deinceps mundi decorem ad ſublime iſtud, quod cernimus, euexit perfectionis culmen. Porrò materiam multi variis diuerſisq; nominibus, ab ipſius proprietate confictis, inſigniunt. Aliqui equidem eam vocant Abyſſum, alii Tenebras, alii liquidam & perpetuò agitatam aquarum ſubſtantiam, alii Primordiale mundi ſilentium. Quòd quidem ſicut omnem iſtam, quæ ſenſus noſtros oblectat, præcurrit ſpecioſam mundi machinam: ita & in ipſius materiæ conticeſcentiam, & ſilentiſsimam vmbram, velut in extremam omnium palinodiam relabetur, recurrétve ſoluta

iſtius mundi harmonia. Veruntamen, vt vult propheta, poſt ſeptem dies, è ſomno & ſilentio antiquo iterum excitanda. IGNORANTIA. Ne, quæſo, ſuccenſe quicquam mihi, ô Sapientia, ſi extra id quod pollicita tibi ſum, ſcilicet me deinceps labia preſſuram, vna adhuc percontatione te ad reſpondendum perpulero. SAP. Quis non te ſemper eſurientem & inſatiabilem dixerit, ô Ignorantia. Cùm in teipſa, quod experior, aſsiduè ſcaturiant & recaleſcant, nondum meis rationibus retuſi interrogationum ſtimuli. Sed age, quærulum os aperi: lubens enim & prona audiam, ſiquid adhuc ex me ſciſcitari te iuuet. IGNOR. Peto, vt breuior ſim, Cur iterum neceſſum, & operæprecium eſt, nouum à Deo, poſt excidium iſtius, excitari mundum: vel, ſi mauis, non tam nouum à Deo excitari, quàm iſtum præſentem, & in numero prorſus eundem inſtaurari? SAP. Si de neceſsitate rogas inſtaurationis huius ſeculi, falleris ſanè, & abſurdam percontaris rem. IGNOR. Ediſſere tamen, cur fallar, vtcunque mihi cauſam. SAPI. Quia nihil omnino in rebus quibuſlibet neceſſarium dici poteſt, quod à ſola Dei voluntate, & ſpontanea bonitate patratur. Sicut enim neceſſarium cumprimis non fuit apud Deum: vt is conderet hunc mundum, quem voluntariè creauit: ita & coram oculis diuinæ maieſtatis, nihil neceſsitatis habet, vt ſolutum igne hoc ſeculum, rurſum ab eo innouari & inſtaurari debere aſſeueremus. Sed duntaxat iſtud commodo aſſeuerare aude: vt quia cumprimis, ſicut illius benignæ voluntati benè ab initio ſedit, & complacuit hunc condere mundum: ita & hunc etiam igne ſolutum, per ſeipſum, & ſponte ipſe ſua innouaturus ſit. IGN. Scio

equid

equidem,nihil apud Deum neceſsitudinis vtrunque mundum habere : verùm non iſtud eſt quod rogo. Nec enim tam de eius fine , quàm de intentione ſollicita quæſtionem moui. SAPIENTIA. Quidnam igitur tibi ipſi velis, perſpicacius effare. IGNORANTIA. Sciſcitor enim iſtud, ad quid ſcilicet officii, & quam ob cauſam, nouus à Deo inſtaurandus ſit mundus. Cum fateri non auſim, immortales animas in futuro ſeculo indigas fore ipſius corporeæ mundi manſionis & ſedis. Quòd ſi nihil forte indigebunt inuiſibiles animæ hoc viſibili mundo: ſi hic mundus, frugi illis & vſui non erit, incaſſum (niſi hallucinor) credenda eſt futura illius innouatio, & inſtauratio. Nam cùm finis immortalium animarum ſit contemplatio ſummi Dei: vbi illas futuri ſeculi beatitudo prouexerit ad apicem diuinæ contemplationis: nimirum perpera ipſis videtur adminiculatio mundi, & caſſum atque inane viſibilium rerum miniſterium. SAPIENTIA. Et ſi longam verborum percontatio tua ſeriem præfert: hæc tamen breui ſatisfactione eget. Reſume enim parumper prioris analogiæ amuſsim, & mox ex corporis humani ſimilitudine diſces, ad quid officii, & in quem illico finem inſtaurandus ſit hic mundus. IGNORANTIA. Ergo iſtud quoque mihi citius exolue: In quem ſcilicet finem, in quémve vſum, & intentionem, & proportione humani corporis, haud ſit omittenda à Deo huius mundi inſtauratio. SAPIENTIA. Conſimile prorſus eſt de mundo, cur hic ſupremo igne ſoluendus, iterum à Deo ſit innouandus: ac ſi de humano corpore percontarere, Cur ſcilicet id, à morte in puluerem ſolutum, rurſus in reſurrectione, & creditur & ſperatur à

Deo excitandum. Et quid deinceps operæ, quídve vtilitatis & miniſterii in venturis ſeculis allaturum ſit corporis onus animæ immortali? IGNORANTIA. Si par eſt, & eadem fermè intentio, vniúſve finis reſurrectionis corporum, & inſtaurationis huius mundi: exiſtimo non minus ſimilem futuram rationem innouationis amborum. SAPIENTIA. Vnicam prorſus eſſe rationem memineris: à qua ominari quenque deceat, cùm humani corporis reſurrectionem, tum fiendam à Deo iſtius mundi innouationem. Et huius quidem innouationis amborum ratio ab ſolius immortalis animæ, in qua demutatio nulla fiet, occaſione pendet. Quicquid enim vſquam oculis & viſui ſubeſt, quicquid in vniuerſo opere Dei corporeum eſt, & viſui præuium: id omne propter inuiſibilium & immortalium animarum obſequium, ac miniſterium, credideris eſſe à Deo factum. IGNOR. Sed quæſo, in futuris ſeculis quodnam obſequium præbebit inſtauratus à Deo hic mundus dignitati immortalium animarum, quas Dei claritas illuſtrarit? quídve miniſterii illis iam beatis impendet? SAPIENTIA. Rogas pertinax, quod præſto tibi eſt, & quaſi ante pedes iacet. Quale enim obſequium, præſtiturum eſt clarificatum poſt reſurrectionem corpus priori animæ, cuius coniugio & euectioni reddiderit illud Deus: tale, crede, obſequium in venturis ſeculis præbiturum eſſe hunc mundum, etiam Dei claritate illuſtrem, toti homini, tum immortali, & nulla deinceps morte perituro. Eſt enim compago totius hominis vt quædam anima mundi. Mundus verò viceuerſa, vt quædam corporea hominis manſio, quam circundedit homini Deus, vt in capaciſsima ipſius amplitudine

plitudine nihil neceſſariarum rerum non habente, cunctis ſuis operationibus apte defungatur. IGNORANT. Breue & ſuccinctum tuæ rationis compendium meæ dubietati ſatis exoluit lucis: vt iam ab ea progrediar in iſtam illationem; qua aſſeuerem, Quoniam ſicut Deus hominis animam, quam mortis occaſus à ſui corporis ſede egerit extorrem, reuocaturus eſt in ſuam manſionem, ideſt in corpus: non quale prius: ſed cæleſte, & Dei claritate illuſtre: ita & integrum hominem, beneficio reſurrectionis innouatum, eadem quidem lege reducturus ſit Deus in ſuam ſedem, ideſt in hunc mundum, etiam deinceps à corruptione & excidio ſui liberum, & claritate Dei longe iſto quem colimus illuſtriorem. SAPIENT. Nunc igitur ô Ignorantia, ne exige, aut præſtolare à me ea de re nunc plura. Nam ſi quo noueris argumento cauſam futuræ reſurrectionis corporum: eodem impelleris illico & in eam rationem, qua iudices inſtaurandum à Deo hunc mundum. Et in vtriſque conſimile prorſus omen inuenies futurorum obſequiorum ac miniſteriorum. Nam qualia animæ à corporibus obſequia depoſcunt: talia etiam homini ab vniuerſo mundo Dei ſanctione impendi miniſteria iubentur. Sed & eadem de cauſa diſce, & aſſeuerare aude, impendendam vtriſque Dei claritatem ſeptuplo huius ſolis lumine ſplendidiorem. IGNOR. Id quidem ex præcedentium doctrina ſatis perſuaſibile eſt, ſaltem apud me. Nam ſicut ſeptem dierum interuallo diſtinguendum dixiſti huius ſeculi à futuro mundo maceriem: ita & in ſeptenarii numeri dignitate haud difficile crediderim, augendam eſſe ſuper huius mundi claritudinem promiſſam venturi ſeculi gloriam. SAP. Iſtud

profectò

profectò diuinæ claritudinis augendum in ſeptenario numero incrementum, docent hæc verba Eſaiæ prophetæ: Et erit, inquit, lux lunæ ſicut lux ſolis: & lux ſolis ſicut lux ſeptem dierum. Auguſta enim ſeptenarii numeri maieſtas, qua Deus & hunc condidit mundum, & iterum qua eundem innouaturus eſt, nimirum in totis ſacris eloquiis ſeſe vſque adeo conſpicuam & ammiratione dignam profert, vt in iis non modicam imo prælargam ſibiipſi vendicet diuinorum myſteriorum portionem: Eorum ſcilicet, quæ Deus dudum per illius amuſsim impleuit: & quæ deinceps ſe impleturum repromiſit denique, ô Ignorantia, ne in altam noctem cœptum prorogemus ſermonem, nunquid iam non retuſi apud te ſunt ſoliti interrogationum ſtimuli, vt opportunè iam premas labia: meq; iam defeſſam, ſole etiam ſe ab alto cæli cardine in æquora mergente ſinas cum tuæ pacis oſculo abire domum? IGNORANTIA. Sedata iam eſt egregiis reſponſis tuis, ô Sapientia, ingens prurigo titillantium percontationum, quæ me coëgere ab auiditate ſciendi tibi hactenus eſſe moleſtam. Et nec deinceps meæ menti, quippe illuſtratæ & à priſcis dubietatibus vacuæ, quicquam ambiguum ſe offert; quo te amodo interpellem. Abibo, ſi iubes, iſtinc ego quidem prior, priuſquam ſol horizonti vicinus, & ſui aſpectum & lucem neget: ne me in via tenebræ comprehendant. SAPIENTIA. In tenebris, huc aduenisti, ô Ignorantia: & nunc plena luminis & illuſtratiſsimæ mentis, è ſtadio iſtius, quam tantiſper exercuimus, iucundiſsimæ palæſtræ in tua remeabis: vocaberiſque deinceps docta Ignorantia, cui hactenus inhæſit ſimplicis Ignorantiæ exile humileq; nomen. Quo igitur pacto te

iſtinc

iſtinc abeuntem formidas comprehenſam iri à tenebris? IGNORANTIA. Cùm de tenebris ſermonem feci; immemor tum fui eius interni luminis, quod ab immenſo tuæ lampadis pelago vbertim ſe mihi radiis nitentibus infudit. Solum verò corporis oculum direxi in vicinum noctis crepuſculum: ideſt in imminentem huius diurni ſolis occaſum, qui properum noctis adfert initium. SAPIENTIA. Sicut, vt ſacro vtar eloquio, quiſquis ſub cute nitet, & in corde mundus eſt, is non indiget, niſi vt forinſecus pedes lauet, ſed eſt mundus totus: ita & qui intranei luminis copia præpollet, hic duntaxat ope forinſecæ lucis eget: qua nutantia & infirma pedum veſtigia regens, caueat ne in via ad calculos, aut ad ſcopulos offendat. Eſt enim alioqui lucidus & illuſtris totus. IGNORANTIA. Et ſi feſtiuus ac velox occubuerit mihi ſolis iſtius aſpectus, vepertinum tamen diluculum, quod ſatis adhuc luminis habet, mihi iſtinc abſceſſuræ erit præſidio: præſertim vbi illuſtrata meæ mentis laterna, & intus foriſq; perſpicua, me quidem & penſibilibus plantis veſtigia librantem, & medio calle in tenebris gradientem, euectura eſt eo, quo proficiſcor loci ab offendiculus liberam. SAPIENTIA. Abi igitur, iam docta & oculatior Argo ô Ignorantia. Et memineris in poſterum, cùm fueris tutemet, tecum domi, te quidem prouectam mea opera ad ſyncerum ſapientiæ lumen, priſcúmque iam demutaſſe nomen. Quandoquidem ab impartitione inuiſibilis lucis conflarim te, nihilo mihi diſparem: immò iam ſororem. IGNORANT. O alma parens Sapientia, qui fiet, vt vſquam tui queam obliuiſci. Quæ cùm iſtuc quidem aduentarim obſcura crede cæca, & rerum

omniú ignara regredior ad memetipſam, tota lucis amœnitate tranſparens, & à priſci mei nominis vmbra prorſus diſſentanea. Igitur ſemel atq; iterum, ô ſcientiarum emporium, cum immenſa gratiarum actione vale. SAPIENTIA. Et tu quidem, ô prius cæca, nunc docta, Ignorantia, ſapientiæ alumna, non minus bis terq́; vale. Et felix in indeſituri ſecli beatitudine viue.

Dialogi de Mundi excidio, & eius inſtauratione finis. Editi Nouioduni, Anno domini milleſimo quingenteſimo quadrageſimo, quinta die Nouembris.



ALFREDO FARNE
ROMA